

<17.107> DE CONSTRUCTIONE.

Quoniam in ante expositis libris de partibus orationis in plerisque Apollonii auctoritatem sumus secuti, aliorum quoque sive nostrorum sive Graecorum non intermittentes necessaria et si quid ipsi quoque novi potuerimus <17.108> addere, nunc quoque eiusdem maxime de ordinatione sive constructione dictionum, quam Graeci σύνταξιν vocant, vestigia sequentes, si quid etiam ex aliis vel ex nobis congruum inveniatur, non recusemus interponere.

In supra dictis igitur de singulis vocibus dictionum, ut poscebat earum ratio, tractavimus; nunc autem dicemus de ordinatione earum, quae solet fieri ad constructionem orationis perfectae, quam admodum necessariam ad auctorum expositionem omnium diligentissime debemus inquirere, quod, quemadmodum literae apte coeuntes faciunt syllabas et syllabae dictiones, sic et dictiones orationem. hoc enim etiam de literis tradita ratio demonstravit, quae bene dicuntur ab Apollonio prima materies vocis esse humanae individua. ea enim non quocumque modo iuncturas ostendit fieri literarum, sed per aptissimam ordinationem, unde et ‘literas’ verisimiliter dicunt appellari, quasi ‘legiteras’, quod legendi iter praebeant ordine congruo positae. nec non etiam auctiores literis syllabae idem recipiunt, cum ex eis coeuntes iuncturae pro debito dictionem perficiunt. igitur manifestum, quod consequens est, ut etiam dictiones, cum partes sint per constructionem perfectae orationis, id est τοῦ κατὰ σύνταξιν αὐτοτελοῦς λόγου, aptam structuram, [id est ordinationem] recipiant: quod enim ex singulis dictionibus paratur sensibile [id est intellegibile], quodammodo elementum est orationis perfectae, et quomodo elementa iuncturis syllabas efficiunt suis, sic etiam ordinatio intellegibilium imaginem quandam syllabae perficit adiunctione dictionum. est enim oratio comprehensio dictionum <17.109> aptissime ordinarum, quomodo syllaba comprehensio literarum aptissime coniunctarum; et quomodo ex syllabarum coniunctione dictio, sic etiam ex dictionum coniunctione perfecta oratio constat.

Possumus autem ex accidentium quoque similitudine hoc contemplari.

Bis idem elementum accipitur, ut ‘relliquias, reddo’, sed etiam syllaba, ‘Leleges, tutudi, peper’, similiter et dictio, ut:

Me, me – adsum qui feci;

fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, Cicero in I invectivarum. pervenit tamen hoc usque ad plenas orationes, cum semel dicta iterum repetantur vel necessario vel morae causa, ut si dicamus: ‘magnus poëta Virgilius fuit, magnus poëta Virgilius fuit’. Iuvenalis in II:

Tu-ne duos una saevissima vipera cena?

Tu-ne duos?

Abundat litera non eadem, ut ‘prodest’ pro ‘proest’ et ‘sicubi’ pro ‘siubi’; abundat etiam syllaba, ut ‘huiusmodi’ pro ‘huiusmodi’, ‘induperator’ pro ‘imperator’, nec non etiam dictio tam in compositione quam in appositione: in compositione, ut Terentius in Phormione:

exadversum ei loco

pro ‘adversum’, et in Andria:

abhinc triennium

pro 'hinc', et in eunucho:

† Emori satius est

pro 'mori'; in appositione quoque, – Virgilius:

sic ore locuta est,

<17.110> abundat enim 'ore'. idem in XI:

lacrimis ita fatur obortis;

et

Te-ne, inquit, miserande puer, cum laeta veniret,

Invidit fortuna mihi?

nam cum dixisset 'fatur', supervacuum est 'inquit', nec mirum, cum expletivae coniunctiones quantum ad sensum plerumque supervacue ponuntur. nec non orationes invenimus similiter supervacue positas, ut: 'ibant, qua poterant, et qua non poterant, non ibant'.

Contrariae similiter passiones per defectionem fiunt literae et syllabae et dictionis et orationis: literae, ut 'siit' pro 'sivit', 'audacter' pro 'audaciter'; syllabae, ut 'commorit' pro 'commoverit'. Horatius in II sermonum:

at ille,

Qui me commorit – melius non tangere, clamo –,

Flebit;

'deum' pro 'deorum', 'accestis' pro 'accessistis'. Horatius in III carminum:

Quae me surpuerat mihi

pro 'surripuerat'; dictionis, ut:

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,

deest enim 'quam'; similiter:

Haec secum: me-ne incepto desistere victam?

deest enim 'dicebat'. in compositis quoque idem solet fieri, ut:

Incubere mari, totum-que a sedibus imis

Vna Eurus-que Notus-que ruunt

pro 'eruunt'; deest enim praepositio ad perfectionem plenae orationis. in his sunt etiam illa, quibus deest in fine verbum, ut Virgilius in III Aeneidos:

<17.111> O mihi sola mei super Astyanactis imago;

deest enim verbum ad perfectionem orationis. nec enim apocopam possumus eam dicere, quae fit in plena dictione, sed quae in litera vel syllaba sensu per se carentibus. orationis quoque fit defectio, ut apud Terentium in eunucho:

Ego-ne illam, quae illum, quae me quae non?

deest enim unicuique constructio plenae orationis: 'ego-ne illam digner adventu meo, quae illum praeposuit mihi, quae me non suscepit heri?' – [et si semel dicta oratio bis vel saepius eadem intellegatur, ut 'magna viris gloria est prudentia et fortitudo et pudicitia et iustitia': ubique enim subauditur 'magna viris gloria est', quod semel est dictum.]

Quomodo autem literarum rationem vel scripturae inspectione vel aurium sensu diiudicamus, sic etiam in dictionum ordinatione disceptamus rationem contextus, utrum recta sit an non. nam si incongrua sit, soloecismum faciet, quasi elementis orationis inconcinne coeuntibus, quomodo inconcinnitas

literarum vel syllabarum vel eis accidentium in singulis dictionibus facit barbarismum. sicut igitur recta ratio scripturae docet literarum congruam iuncturam, sic etiam rectam orationis compositionem ratio ordinationis ostendit.

Dicimus praepositiva elementa tam in consonantibus quam in vocalibus; sed etiam in syllabis sunt quaedam praepositiva elementa, ut in diphthongis a et e et o praepositivae sunt, ut 'ae, au, eu oe', i vero et u postponuntur, et aspirationes vocalibus adiunctae in principio syllabarum inveniuntur, ut 'habeo, Hermus, hircus, homo, hora, humus, humanus', et u loco consonantis posita et q et k semper initio syllabarum ponuntur. syllabae quoque praeponuntur, ut 'prae' in principio invenitur semper dictionum: <17.112> 'praemium, praeco, praetor, praedium, praelum'. postpositivae quoque, quae a gm vel cm vel chm incipiunt, ut 'agmen, Pyracmon, Menaechmus'; finales quoque, quae in ls vel rs vel ms vel ns terminant, ut 'puls, cohors, hiems, sapiens'. idem etiam in dictionibus invenis. unde et 'praepositiones' nominantur et 'praepositiva pronomina' et 'subiunctiva' vel 'relativa', nec non verba 'subiunctiva', quae magis ab ordinatione nomen acceperunt quam a demonstratione, quomodo 'imperativa, optativa'. in oratione quoque hunc modum possumus invenire, quando antecedentia, si coniuncta sequentibus fuerint, vera esse ostenduntur, dum anteponuntur consequentibus per primam orationis coniunctionem, ut si aliquis dicat 'si ambulat Dionysius, movetur Dionysius': si enim convertas, non est verum; non enim, si movetur Dionysius, et ambulat Dionysius necessario, nam potest et moveri et non ambulare.

Elementum est quando in duo dividitur modo syllabico, id est contemplatione temporum, ut 'f□□ri' pro 'f□ri', longa enim vocalis in duas breves divisa est; similiter 'admittier' pro 'admitti', 'farier' pro 'fari'. sed etiam duo in unum coeunt, ut 'tib□cen' pro 'tibiicen'. unde et solum hoc ex similiter compositis paenultimam productam habet, et 'b□nae' pro 'biunae'. syllaba quoque in duas dividitur, ut 'aulae: aulai'; Virgilius in III Aeneidos:

Aulai medio libabant pocula Bacchi,

et 'silua' pro 'silva': Horatius in epodo:

Nives-que deducunt Iovem, nunc mare nunc siluae;

<17.113> est enim dimetrum iambicum coniunctum penthemimeri heroicae. sed etiam duae syllabae in unam coeunt, ut Virgilius in VI:

Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi

Placarit nemora,

'aeripedem' pro 'aeripedem', tetrasyllabum protulit pro pentasyllabo. sed etiam dictio dividitur, ut si dicam: 'res publica felix est' et 'res felix est publica; magister militum fortis, militum fortis magister'. Virgilius in III georgicon:

septem subiecta trioni,

pro 'septemtrioni subiecta'. etiam divisa possunt coniungi, ut 'malefida, argiletum, huiusmodi, malesana'. orationibus similiter accidentes coniunctiones est quando coniungunt duas vel plures orationes, est quando subtractae dissolvunt, ut:

Conticuere omnes intenti-que ora tenebant,

Virgilius in II. idem in eodem:

Acamas-que Thoas-que
Pelides-que Neoptolemus primus-que Machaon;
contra:

alii navalibus ite,
Ferte citi ferrum, date tela, impellite remos!
<17.114> idem in IIII.

Litterae transmutantur, ut ‘Teucer’ pro ‘Teucre’; sic etiam syllabae, ut ‘displicina’ pro ‘disciplina’, nec non etiam dictio, ut ‘plebis tribunus’ pro ‘tribunus plebis’, et ‘publica res’ pro ‘res publica’; orationes quoque, ut ‘nutrivit filios ac peperit’ pro ‘peperit ac nutrit’. Virgilius in II Aeneidos:

moriatur et in media arma ruamus,
pro ‘in media arma ruamus et moriamur’.

Praeterea, quemadmodum elementorum alia sunt vocalia, quae per se vocem perficiunt, alia consonantia, quae sine vocalibus perficere vocem nequeunt, sic etiam in dictionibus animadvertimus quasdam ad similitudinem vocalium per se esse dicendas, ut in verbis maxime imperativis vel nominibus vel pronomibus saepe vocativis vel adverbis, quae adiciuntur antecedentibus actionibus vel orationibus, cum clamamus ‘bene, recte, diserte’ ad illos, qui oportune aliquid agunt vel dicunt. aliae vero dictiones sunt, quae ad similitudinem consonantium sine adiumento aliarum partium orationis, quae imitantur in hoc vocales, proferri ad perfectionem sensus non possunt, ut praepositiones vel coniunctiones. eae etenim semper consignant, id est coniunctae aliis significant, per se autem non. itaque variatur earum significatio ad vim conjunctorum eis, ut ‘in’ aliud significat, cum accusativo iungitur, et aliud, cum ablativo, ‘in urbem’ et ‘in urbe’, ‘ad locum’ et ‘in loco’. coniunctiones quoque copulativae et disiunctivae esse dinoscuntur ab aliis partibus orationis, quae eis sociantur, ut ‘vel, aut’ non solum disiunctivae, sed etiam copulativae reperiuntur, ut Terentius in eunucho:

<17.115> vel rex semper maximas
Mihi [gratias] agebat quicquid feceram; aliis non item,
pro ‘et rex’. Virgilius in IIII Aeneidos:

Aut ante ora deum pinguis spatiaur ad aras,
‘aut’ pro ‘et’. ‘que’ etiam non solum copulativa, sed etiam disiunctiva invenitur,
ut Virgilius in II Aeneidos:

Aut pelago Danaum insidias suspecta-que dona
Praecipitare iubent subiectis-que urere flammis,
‘que’ pro ‘ve’. nec non etiam aliae pro aliis partibus accipiuntur, neque id aliter possumus scire nisi ex adiunctis, ut ‘per’, si verbo apponatur, pro ‘valde’ accipitur, id est loco adverbii; etiam si nomini coniungatur sub eadem intentionis significatione, ut Terentius in eunucho:

Perpulchra, credo, dona aut nostris similia.
‘atque’ et ‘ac’ quoque, si adverbio ‘aliter’ vel ‘secus’ vel similibus subiungantur, vim adverbii obtinent, ut Virgilius in III Aeneidos:

Haud secus ac iussi faciunt,

pro ‘quam iussi’, et ‘horrendum clamat’ pro ‘horrende’, nomen pro adverbio, ‘sublime volat’ pro ‘sublimiter’.

Solet quaeri causa ordinis elementorum, quare a ante b et cetera; sic etiam de ordinatione casuum et generum et temporum et ipsarum partium orationis solet quaeri. restat igitur de supra dictis tractare, et primum de ordinatione partium orationis, quamvis quidam suae solacium imperitiae quaerentes aiunt, non oportere de huiuscemodi rebus quaerere, <17.116> suspicantes fortuitas esse ordinationum positiones. sed quantum ad eorum opinionem, evenit generaliter nihil per ordinationem accipi nec contra ordinationem peccari, quod existimare penitus stultum. si autem in quibusdam concedant esse ordinationem, necesse est etiam omnibus eam concedere. sicut igitur apta ordinatione perfecta redditur oratio, sic ordinatione apta traditae sunt a doctissimis artium scriptoribus partes orationis, cum primo loco nomen, secundo verbum posuerunt, quippe cum nulla oratio sine iis compleatur, quod licet ostendere a constructione, quae continet paene omnes partes orationis. a qua si tollas nomen aut verbum, imperfecta fit oratio; sin autem cetera subtrahas omnia, non necesse est orationem deficere, ut si dicas: ‘idem homo lapsus heu hodie concidit’, en omnes insunt partes orationis absque coniunctione, quae si addatur, aliam orationem exigit. ergo si tollas nomen aut verbum, deficiet oratio, desiderans vel nomen vel verbum, ut si dicam ‘idem lapsus heu hodie concidit’ vel ‘idem homo lapsus heu hodie’; sin subtrahas adverbium, non omnino deficiet oratio, ut ‘idem homo lapsus heu concidit’. nec non etiam participium si adimas, neque sic deficiet, ut: ‘idem homo heu hodie concidit’, nec si praepositionem et interiectionem: ‘idem homo cecidit’, nec si etiam pronomen: ‘homo cecidit’. non tamen dico, quod non etiam ex pronomine et verbo perfecta constat oratio, cum dicimus ‘ego ambulo, tu ambulas’. tum enim constat perfectio orationis, cum loco nominis sumatur pronomen et vim nominis compleat ordinatione; quando autem loco nominis per se ponitur, in partibus ostendetur consequentibus, et quae verba ad nominativos coniunguntur solos et quae obliquos desiderant casus. ante verbum quoque necessario ponitur nomen, quia agere et pati substantiae est proprium, in qua est positio nominum, ex quibus proprietas verbi, id est actio et passio, nascitur. inest igitur intellectus nominativus in ipsis verbis, quo sine substantia significari non <17.117> poterat, in prima quidem persona et secunda definitus, in tertia vero, quia innumerabiles sunt personae tertiae, infinitus, nisi excepta fiat actio, sicut ‘fulminat, tonat’; ea enim, quamvis non addamus nomen, definita esse videntur, cum ad solum pertineant Iovem. obtinuit itaque, ut eius [id est verbi] nominatione aliae quoque partes ‘verba’ vocentur, vel ex contrario illarum communem nominationem per excellentiam haec pars quasi egregia propriam possedit. non irrationabiliter tamen illud quaeritur, quare post nominis positionem non eam partem, quae pro ipso nomine accipitur, ponimus, id est pronomen, quae vice nominis cum verbo continet orationem: de quo manifesta probatio erit haec, quod verborum quoque causa inventa sunt pronomina. nomina enim tertiarum sunt personarum indicativa [id est tertias indicant personas], quippe quae nomina substantiam et qualitatem vel generalem vel propriam significantia similiter in omnibus possunt intellegi personis inesse.

omnis enim persona et generalis et specialis capax est substantiae et qualitatis; potest enim 'homo' esse, qui loquitur et ad quem loquitur et de quo aliquis loquitur, et 'Cicero' dici, qui loquitur et ad quem loquitur et de quo aliquis loquitur. itaque quia confusio infinitam faciebat personam, concessit ad sibi aptam, id est tertiam. unde verborum quoque tertiae personae infinitae sunt. nam prima et secunda et praesentes sunt tantum et demonstrativae semper et figurate assumunt nomina, ut 'Virgilius ego', sicut

Ille ego.

possumus tamen etiam illud dicere, quoniam eorum, id est nominum, positiones cum fiunt, neque in persona indicativa sunt, id est loquentis, quod est suum primae personae, neque enim sibi imponunt infantes nomina, neque ad ipsos pronuntiantes nominationes facimus, quod est secundae <17.118> personae. [ergo tertiae sunt nomina personae.] verba autem in tribus erant personis, ideoque excogitabantur pronomina in personas definitas discreta, ut et nominis positionem et verbi ordinationem, id est et substantiam et definitas personas indicarent, ut 'ego scribo, tu scribis': et substantiam enim significat loco nominis positum pronomen et personam verbo sibi adiuncto congruam indicat; itaque nihil prohibet in tertia persona dicere 'Aristarchus legit', quippe cum duae tertiae coniunguntur personae. non tamen ideo tertiae pronominum personae supervacuae sunt, quia possumus in tertia persona ponere nomina. quare enim in tertiis etiam personis inveniuntur pronomina, in partibus ostendetur convenientibus. ergo si supra dicta ratio vera est, manifestum est, quod iure praepositur verbum pronomini, quod verbi quoque causa excogitatum est. sed quod est maius, verba personarum, quae per nominativum intelleguntur et sunt indicativa, absolute accipiuntur. qui enim pronuntiat 'ambulo' vel 'scribo', non ad discretionem alterius personae definit. pronomina vero nominativi primae et secundae personae ad discretionem alterius personae excogitata sunt, ut si dicam 'ego scribo, tu legis', vel 'ego et tu scribimus, ille legit, tu et ille scribitis, ego lego' et si dicam 'ego et tu intellegimus' nihil addens, ad ceteras omnes personas discernitur. nisi enim discernere aliam personam velimus, non opus est nominativi casus pronomina addere verbo: obliqui enim casus pronominum apud Latinos absoluti sunt omnes. nam Graeci compositum ἐμαυτοῦ absolute dicunt, ἐμοῦ αὐτοῦ vero discretive, similiter alios casus obliquos. absoluti autem dicuntur, quibus licet et sine discretione aliarum uti personarum et cum discretione: sine discretione, ut 'da mihi panem', en hoc nullam discretionem habet alterius personae; sin autem dicam 'da mihi panem, illi autem vinum', discretionem <17.119> feci. in quo nominativus maxime valet, cum additur verbo, ut 'ego facio hoc, tu facis illud'. cum enim per se 'facio' primam personam ostendat et habeat in se vim nominativi absolutam, additio pronominis discretionem aliquam desiderat alterius personae, ut 'ego lego, tu scribis'. Terentius in Andria:

Vos istaec intro auferte, abite. Sosia,

Adesdum.

idem in adelphis:

Ego † ibo intro, ut quae opus sunt parentur; tu fac, ut dixi.

tamen etiam adiunctionem alterius recipit, ut ostendimus, personae, ut ‘ego et tu facimus’. participium etiam oportune post verbum ponitur, ex quo et nascitur, sicut de verbo tractantes ostendimus, quod necessario translationes verborum fiebant in casuales figuras cum generibus, quae eis accidunt, cum verba non possent consequentiam sui praesentare, ut etiam per obliquos casus adiungi possent et sine coniunctione consociari, ut ‘me legente proficio’ pro ‘lego et proficio’. manifestum autem, quod ipsius quoque positio nominationis, qua participium nominatum est, non bene servaretur, nisi post nomen et verbum poneretur participium, cum ex eis utrisque per confirmationem pendens ea pars accipiebatur, quomodo post masculinum et femininum eorum abnegativum neutrum. nisi enim praepositarum partium patiamur priorem positionem, reliquum est, ut nec participium vocare possimus neque tamen neutrum, quoniam duorum praepositorum generum fit abnegativum. participium quoque necesse est ex quibusdam praepositis partem capiens constare, sed neque aliam recte interponimus partem, id est pronomen vel adverbium vel coniunctionem vel aliam aliquam, cum nullam ex earum proprietate partem capiat participium. post participium Graeci articulum ponunt, quem nos, sicut <17.120> in pronomine ostendimus, non habemus. nam ‘idem’, quod significat ὁ αὐτός, et ‘qui’, ὅστις, quamvis videantur quantum ex interpretatione et praepositivos et subiunctivos habere articulos, tamen, sicut latius docuimus, cum de pronomine tractabamus, non sunt articuli; ‘hic’ vero et ‘haec’ et ‘hoc’ indubitanter pronomina sunt, quae nisi in declinatione nominum a grammaticis loco articulorum non recipiuntur. nec mirum, cum apud Graecos quoque articuli inveniantur loco pronominum positi, ut apud Homerum:

ὁ γὰρ ἦλθε θεῶς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν,
 pro οὗτος γάρ,

ὅς γάρ ῥα μάλιστα

Ἦνδανε κηρύκων,
 pro οὗτος γάρ,

Τὸν δ’ ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς,
 pro τοῦτον δέ.

Quod autem post participium pronomen sequi debet, non est quaestio, cum paene post nomen debeat poni, nisi propter supra dictas causas. apparet autem etiam, quod praepositio non primam habens positionem neque antiquiorem aliis dictionibus post supra dictas ponitur, unde neque nominationem a propria aliqua significatione accepit, sed quia supra dictis praeponitur partibus, quae si non ante sint, neque ea constare possit – quod etiam de participio diximus –, ex quibus etiam ordinationem accepit: scilicet cum modo per appositionem, modo per compositionem praeponitur <17.121> ante dictis partibus. ergo natura quidem posterior est, constructione vero principalis.

Adverbium vero quod verbi est vi adiectivum, positio, id est nominatio, quoque eius ostendit. quomodo igitur in secundo loco verbum post nomen, sic etiam adverbium in secundo loco post praepositionem bene ponitur, quae per appositionem dictionis vim sibi defendens praeponitur nominibus vel aliis

casualibus: composita enim vim dictionis non habet, concedens in eam, cui adiungitur.

Post supra dicta vero omnia coniunctio iure accipitur, cum nullum possit per se significare sensum absque supra positarum dictionum materia, quomodo corporum quoque vincula inutilia sunt, si non sint corpora, quae ab eis vinciantur.

Possimus autem et amplioribus rationibus de ordinatione partium demonstrare; sed quia non de ea propositum nobis est, sufficiat hucusque dicere.

Illud etiam primum quaerendum, antequam de constructione singularum orationis partium tractemus, quare interrogativa dictionum in duas partes orationis solas concesserunt, id est in nomen et in adverbium, et quare non in unum nomen et in unum adverbium, sed in ampliora, ut ‘quis, qualis, uter, quantus, quot, quotus, quotenus, cuius, cuias, qualiter, qua, quo, ubi, quando, unde’? an haec etiam approbatio est, principales duas esse partes orationis nomen et verbum, quae quando in notitia non sunt, habent de se interrogationem frequenter accipiendam? inveniuntur autem in pluribus, sicut ostendimus, et nominibus et adverbis propter rationem huiusmodi, quod in his solis dubitatio <17.122> potest fieri substantiae vel qualitatis. nam substantiam alicuius suppositi quaerentes dicimus ‘quis movetur? quis ambulat? quis loquitur?’, cum manifestus sit actus, id est motus vel ambulatio vel loquella, persona vero agens incerta; ideo subiectiones nominativae fiunt appellativorum vel propriorum, propriis manifestantibus etiam generalem substantiam. respondemus enim vel ‘homo ambulat’ vel ‘equus’ vel ‘Trypho’, in quo etiam ‘homo’ intellegitur, vel etiam pars subicitur, quae pro nomine accipitur, sed nomine proprio, id est pronomen, quando dicimus ‘ego’. et quia incerta erant accidentia praepositis nominibus – ipsum enim per se ‘quis’ interrogativum nomen substantiam solam quaerebat, cui accidebat quale et quantum –, excogitabatur etiam de his interrogatio, cum qualitatem quaerentes dicimus ‘qualis’, quantitatem vero ‘quantus’, numerum vero ‘quot’ et ‘quotus’ et ‘quotenus’, et per derivationem, quae apud Graecos non est, possessivum ‘cuius, cuias, cuium’ et gentile ‘cuias’, cuius nominativum etiam ‘cuiatis’ communi genere antiqui proferebant. Plautus in Poenulo:

Quid sit, cuiatis, unde sit, ne parseris. –

Quid est? cuiates estis? aut quo ex oppido?

idem in Menaechmis:

Rogitant, cuiatis sit [aut quo ex oppido];

Ergo si praenoscutur, quis sit, id est si de substantia sciamus et qualitatem quaerimus, tunc supra dictis utendum est, ut puta ‘quis legit? Trypho; qualis? sapiens, doctus’; vel ‘uter, grammaticus an orator?’ et in omnibus quaerendis, quae possunt accidere per adiectivam significationem eis, quae ad interrogationem ‘quis’ referuntur, <17.123> nominibus. est tamen et cum substantia et qualitate in ore posita et aliis coaccidentibus additur interrogatio, pertinens ad proprietatem nominis, ut si dicam ‘quis est ille Romanus formosus et magnus?’ possum enim, videns aliquem, scire eius et substantiam et gentem

et qualitatem et quantitatem, proprietatem vero solam quaerere. quod ostendit Virgilius in VI:

Atque hic Aeneas – una namque ire videbat
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum et deiecto lumina vultu –:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?

et substantiam enim et qualitatem videns et quantitatem, tamen proprietatem quaerens ‘quis’ dixit.

Adverbia quoque feruntur ad ignotos affectus vel per qualitatem, cum dicimus ‘qualiter legit?’ reddentes-que ei adverbium, quod adiectivi vice fungitur verbo, respondemus ‘bene, rhetorice, sapienter’. sin autem non qualitatem quaerimus, sed tempus, in quo actum est aliquid, dicimus ‘quando?’ ei-que iterum redditur ‘heri, nuper, pridem’; vel locum, in quo aliquid geritur, ‘ubi? quo? qua? unde?’ sed ‘ubi’ in loco, ‘quo’ ad locum, ‘qua’ per locum, ‘unde’ de loco significat. videmur tamen etiam substantiam ipsius actus quaerentes dicere ‘quid agit?’, cui respondetur ‘nihil’ vel ‘currit, loquitur’, [quomodo et quantitatem quaerentes dicimus ‘quantum currit? multum, parum’. causam quoque quaerentes interrogativis utimur, ut ‘cur? quare?’, numerum etiam, ut ‘quotiens?’, ad quod ex omnibus numeris adverbia reddi possunt, ‘ter, quater’ et reliqua, praeterea ‘totiens’ et ‘multotiens’ et ‘saepe, saepius, saepissime’, quae sunt infinita]. quamobrem <17.124> igitur praepositae partes [id est interrogativae] vel nominativae fiunt vel adverbiales, ostendimus. quorum de constructione in sequentibus demonstrabitur. ergo quia reliquae partes orationis ad nominis et verbi constructionem referuntur, ex quibus etiam nominationem habuerunt, oportet de singulis tractare, id est et de eo, quod in loco sumitur vel assumitur, ut pronomen loco nominis sumitur, ut ‘ego feci’, assumitur nomini, ut ‘Virgilius scripsit bucolica, ipse scripsit etiam georgica’, et de eo, quod assumitur solum, ut adverbium verbo vel coniunctio verbo et nomini, et praeterea de participio, quod loco verborum sumitur et cum verbis assumitur. sed quoniam Apollonius de constructione, id est περὶ συντάξεως, scribens ab articulis, qui nominibus adhaerent, coepit, nos quoque ab eis, quae loco articulorum sumi possunt apud nos, incipiamus.

Articulus secundam notitiam suppositorum demonstrat. si enim dicam ἄνθρωπος ἦλθεν, primam notitiam ostendo; sin ὁ ἄνθρωπος ἦλθεν, secundam. deficit autem praepositivis articulis lingua Latina. nam pronomen ‘hic’, quod grammatici in declinatione nominum loco praepositivi, ut dictum est, ponunt articuli, numquam in oratione sensum articuli habet.

Vnum solum pronomen compositum invenitur apud nos, τὸ ‘idem’, quod secundam notitiam eiusdem personae significat, cuius interpretatio apud Graecos cum praepositivo articulo relativum pronomen habet, ὁ αὐτός. et apud illos quidem duae partes orationis sunt ὁ αὐτός, ὁ, quod <17.125> est articulus praepositivus, et αὐτός, quod est pronomen relativum; apud nos vero una pars est composita ab ‘is’ et ‘demum’ per apocopen ‘um’, quomodo ‘exin’ pro ‘exinde’ et ‘dein’ pro ‘deinde’. ‘qui’ vero, quod interpretatur ὅστις – quod est subiunctivus articulus cum nomine infinito apud illos, apud nos vero una pars et

simplex, quae relativa est τοῦ ‘quis’ infiniti vel interrogativi –, potest subiunctivi loco articuli accipi, quomodo et Graeci τὸ ‘ὅστις’ frequentissime ponunt loco ὅς articuli subiunctivi, nisi in dividendis: in illis enim nec nos ‘qui’ nec illi ὅστις ferunt. sed illi articulis subiunctivis utuntur, nos vero pronomibus vel nominibus, ut τῶν ἀνθρώπων οἱ μὲν εἰσιν ἀγαθοί, οἱ δὲ πονηροί; nos dicimus ‘hominum hi sunt boni, illi mali’ vel ‘alii sunt boni, alii mali’; τῶν δύο Αἰάντων ὃς μὲν Τελαμῶνος, ὃς δὲ Ὀϊλέως υἱὸς ἐγένετο, ‘duorum Aiacum alter Telamonis, alter Oilei filius fuit’ vel ‘hic Telamonis, ille Oilei filius fuit’. (et sciendum, quod in huiuscemodi constructione dividuorum, si per praesumptionem, id est κατὰ πρόληψιν, praeponitur plurale verbum ad utrumque sequens, licet nominativum anteferre, ut ‘aquilae devolaverunt, haec ab oriente, illa ab occidente’; sin ad ea, quae dividuntur, singulariter verba consequentur, genetivum oportebit praeponi pluralem dividendum, ut ‘aquilarum altera devolavit ab oriente, altera ab occidente’; <17.126> nec mirum hoc fieri, cum verbum sive praepositum sive consequens iure sibi exigit nominativum. itaque si et quod dividitur et illa, in quae dividitur, volumus per obliquos casus proferre, necesse est participio uti, quod loco verbi accipitur obliquis adiungendum, et transitionem facere, ut ‘aquilarum volantium, alterius ab oriente, alterius ab occidente, similis est celeritas’ vel per dativum ‘aquilis volantibus, huic oriens, illi relinquitur occidens’ et accusativo ‘aquilas volantes, hanc oriens, illam misit occidens’. auctoritas tamen veterum est, quando pro genetivo plurali nominativum praeponit, quamvis ad sequentes res, id est divisas, singulariter verba redduntur, ut Homerus:

Οἱ δὲ δύο σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἰκάνει,
 cum ars exigeret genetivum dicere, id est τῶν δὲ δύο σκοπέλων, pro eo nominativo est usus. similiter si quis dicat ‘duo fratres, alter maior, alter minor est’, vitium facit, debet enim dicere ‘duorum fratrum alter maior, alter minor est’ et ‘duorum oculorum alter dexter, alter sinister est’, non ‘duo oculi alter dexter, alter sinister est’. Livius in XXXXI: periti religionum iuris-que publici, quando duo ordinarii consules eius anni, alter morbo, alter ferro periisset, suffectum consulem negabant recte comitia habere posse.) sed interest etiam hoc, quoniam apud illos ὅς loco <17.127> etiam pronominis accipitur demonstrativi, quod significat apud nos ‘hic’, οὗτος. ἀοριστῶδες quoque hoc idem, id est τὸ ‘ὅς’, nominant μόριον, id est infinitam particulam, quando pro ὅστις accipitur, quod proprie est apud nos ‘qui’, ut ‘qui interficiet tyrannum, praemium accipiat’. et necesse est, eandem hanc esse partem orationis quam ‘quis’, cum etiam obliqui in omnibus similes sunt eorum casus absque accentibus. et ‘qui’ quidem pro ‘quis’ infinito vel interrogativo accipitur, ‘quis’ vero pro relativo numquam. quomodo ergo ‘qualis’ et ‘quantus’, sive interrogativa sint sive infinita sive relativa, quamvis mutant accentus, non sunt diversae partes, sic neque supra dicta. sed latius de eorum potestate, cum de pronomine scribebamus, tractavimus.

Hoc idem, id est ‘qui’, quotiens subiungitur nomini, quomodo ὅς apud Graecos, necesse est non solum ad nomen praepositum, sed etiam ad id subiunctum alterum verbum proferri, ut ‘virum cano, qui venit’. si nominativo

nominativus adiungitur, ad eandem personam verba referuntur: ‘homo venit, qui scripsit’; sin duo obliqui sunt, ad aliam personam transitio fit verborum vel in se reciprocatur, ut ‘hominem, quem vitupero, accuso’ et ‘memet, quem vitupero, accuso’; sin alterum sit nominativi, alterum vero obliqui, ad nominativum non fit transitio verbi ab alia persona ad aliam, ad obliquum vero fit, ut ‘homo venit, quem accuso’ vel ‘hominis misereor, qui venit’. omnia tamen, quae in transitione fiunt, possunt etiam in reciprocatione fieri, et quomodo ‘qui’ et eius obliqui omnes ad nominativos omnium casualium bene referuntur, ut ‘Virgilius, qui scripsit’, ‘Virgilius, cuius scripta <17.128> extant’, ‘Virgilius, cui gloria contigit’, ‘Virgilius, quem laudant’, ‘Virgilius, quo docente bene proficitur’, sic et ex contrario nominativo eius omnes aliorum casus bene adiunguntur, ut ‘qui scripsit bucolica Virgilius magnus poëta fuit’; ‘qui scripsit Aeneida Virgilio sunt georgica’; ‘qui scripsit Aeneida Virgilio gloria contigit’; ‘qui scripsit Aeneida Virgilium laudo’; ‘qui scripsisti Aeneida, Virgili, vivis memoria’; ‘qui scripsit Aeneida Virgilio florent studia’. licet autem et praepostere haec dicere. sciendum tamen, quod per ellipsin aliorum casualium haec saepe inveniuntur relativa, ut Terentius in Andria:

Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum,

deest enim ‘ut ab eo, qui neget’, et ‘venit, cuius causa est’, deest ‘iste’, et ‘exigit, cui debeo’, et ‘minatur, quem timeo’, et ‘flore, quo valeo’; [in omnibus enim nominativus subaudiendus est.] nam vocativum relativa non habent.

‘Qualis’ quoque et ‘quantus’ et ‘quot’ relativa per defectionem ‘talis’ et ‘tantus’ et ‘tot’ frequenter inveniuntur; nec mirum relativis positis, quae secundam cognitionem significant, etiam antecedentia vel redditiva intellegi, licet non sint dicta, ut ‘qualis Homerus, fuit Virgilius’. <17.129> relativa autem, nisi sint posita, intellegi minime possunt, nisi in demonstratione. tunc enim et sine relativis possumus redditiva proferre, ut si ostendentes Virgilium aiamus ‘talis fuit Homerus’ vel Thesea demonstrantes dicamus ‘tantus fuit Hercules’.

Huic nomini, id est ‘quis’, quod est interrogativum vel infinitum, redditur ‘qui’ relativum: ‘quis scripsit bucolica? qui etiam georgica’. hoc tamen, id est ‘quis’ interrogativum, proprio quoque adiungitur cum verbis substantivis vel vocativis similem vim habentibus. et pronomen etiam redditur huic: ‘quis est Trypho?’ vel ‘quis nominatur Trypho?’ ‘ego’ vel ‘tu’ vel ‘ille’, vel e contrario cum pronomine adiunctum τὸ ‘quis’ nomen desiderat sibi reddi: ‘quis est ille?’ vel ‘quis vocatur?’ ‘Achilles’. et manifestum ex hoc quoque, quod, quando nomini adiungitur, substantiam definitam in aliqua certa persona quaerimus suppositi; hanc enim solam ostendunt pronomina, quorum demonstratio sibi quoque accidentia consignificat, unde ad omne suppositum pertinent. quando vero pronomibus iungitur ‘quis’, substantiam quidem intellegimus, non etiam proprietatem qualitatis, quae nomine explanatur. et est manifestum, quod loco priorum nominum pronomina accipiuntur, cum ex eorum interrogatione propria intelleguntur. cum enim dico ‘quis es tu?’ vel ‘ille?’, sine dubio de quibusdam finitis hoc dico substantiis, in quibus etiam proprietates desidero scire, et cum a propriis quoque <17.130> pronomativae redditiones fiunt:

‘quis est Trypho?’ ‘ego’ vel ‘ille’. cum autem per se ‘quis’ ponitur interrogativum, potest cuicumque verbo adiungi, ut ‘quis ambulat?’ ‘quis loquitur?’ ‘quis legit?’ et si pronomen redditur, non eget altera interrogatione; sin vero nomen potius, eget altera interrogatione propter multorum similitudinem nominum, ut ‘quis currit?’ ‘Ajax’. ‘quis Ajax?’ ‘Telamonius’ vel ‘Locrus’. qui vero dicit ‘qualis homo vicit?’, de hominis qualitate adiectiva dubitat, cum substantiam atque actum cognoverit; qui autem dicit ‘quis homo vicit?’, generalem quidem scit substantiam et qualitatem personae, specialem autem desiderat, quae proprio redditur nomine, ut ‘quis homo vicit Pompeium?’ ‘Caesar’. cum dico vero ‘quid est animal rationale mortale?’, speciem mihi volo manifestari, id est hominem, quae quamvis videatur esse communis omnium hominum, tamen est etiam propria ipsius speciei incorporalis. qui vero interrogat ‘qualiter homo vicit?’, de homine non dubitat, sed de modo actus.

Et nomini quidem tam substantiva quam vocativa adiunguntur verba, pronomini vero tantum substantiva, quia in his, quae nominantur, inest substantivum, ut ‘Trypho sum’ vel ‘Trypho vocor’. non tamen substantivis, quae sunt pronomina, inest propria positio nominum, id est verba vocativa; nemo enim dicit ‘ego nominor’ vel ‘tu vocaris’ vel ‘ille nuncupatur’ ad pronomen referens verba, quomodo ‘Trypho nominor’ vel ‘Cicero vocaris’, ‘Virgilius nuncupatur’ bene dicimus. nec mirum, diversae potestatis verba diversis convenire constructionibus, cum voluntaria (id est affectiva) quoque videmus solere infinitis adiungi, ut ‘volo legere’, ‘cupio scire’, ‘studeo discere’.

Quaeritur hic, quamobrem, cum nominativae interrogationes per nomina soleant fieri, non etiam verbales fiant per verba. ad quod dicendum, quod nominum quidem et substantiae et qualitates et quantitates et numeri <17.131> et omnia accidentia his in ipsis sunt speciebus nominum: substantiae, ut ‘animal, homo’; qualitates, ut ‘bonus, prudens’; quantitates, ut ‘maximus, parvus’; numeri, ut ‘multus, paucus’. itaque sunt nomina generalem significantia vel substantiam vel qualitatem vel quantitatem vel numerum, quae necessario et infinita sunt, quippe cum omnia suarum generaliter specierum comprehendant in se nomina; unde quidam ea et pronomina esse existimaverunt, quia generaliter pro omnibus aliis accipiuntur nominibus, quomodo et pronomina. sed pronomina et finita volunt esse et loco priorum accipiuntur et substantiam solam sine qualitate significant, quantum in ipsa voce est eorum, cum supra dicta generalia nomina penitus sint infinita confusione omnium sub se specierum. itaque eis utimur ad speciales interrogationes substantiae vel qualitatis vel quantitatis vel numeri: substantiae, ut ‘quis’, qualitatis, ut ‘qualis’, quantitatis, ut ‘quantus’, numeri, ut ‘quot’. verba vero generalem substantiam vel qualitatem vel quantitatem vel numerum per se significare non possunt, ideo-que, quemadmodum officio adiectivi funguntur adverbium ad significandum verborum qualitatem vel quantitatem vel numerum vel tempus vel locum, sic etiam ad generales eorum interrogationes eadem accesserunt. quomodo igitur nominum substantiam quaerentes ‘quis?’ dicimus, sic etiam verbi actum vel passionem quaerentes ‘quid agit?’ vel ‘quid patitur?’ dicimus. cum enim deficiunt adverbium, loco eorum subeunt nomina, ut Terentius in eunucho:

quid agitur? – Statur;
qualitatem vero cum quaerimus, ‘qualiter?’ dicimus vel ‘quomodo?’ vel ‘ut?’:
Horatius in II sermonum:

Vt Nasidieni iuvit te cena beati?

quantitatem vero, ‘quantum?’; numerum, ‘quotiens?’

<17.132> Et notandum, quod non solum adverbium, sed etiam nomina loco adverbiorum, ut dictum est, posita frequentissime invenimus cum verbis. et quomodo supra dicta generalia nomina sunt infinita vel interrogativa vel relativa vel redditiva, sic adverbium quoque inveniuntur, ut nomen infinitum ‘quis’ et ‘aliquis’, adverbium ‘aliquo’ et ‘alicunde’ et ‘alicubi’ et ‘aliqua’; nomen interrogativum et relativum ‘qualis’, ‘ποῖος’ καὶ ‘ὅποῖος’, et ‘quot’, ‘πόσοι’ καὶ ‘ὅποσοι’, similiter adverbium interrogativum et relativum ‘ποῖως’ καὶ ‘ὅποῖως’ ut ‘πῶς’ καὶ ‘ὅπως’, ‘quotiens’, ‘ποσάκις’ καὶ ‘ὄσάκις’; nomen redditivum ‘talis’ et ‘tot’, adverbium ‘taliter’ et ‘totiens’. et quemadmodum nomina interrogativa generalem accentuum legem servant, relativa vero in fine acuuntur, sed in contextu orationis praeposita ipsum quoque acutum in gravem convertunt, ut ‘qui’, ‘cuius’, ‘cui’, ‘qualis’, ‘quantus’, sic adverbium ‘qualiter’, ‘quotiens’. Lucanus in I:

Qualitèr expressum ventis per nubila fulmen.

idem in eodem:

cursum-que furoris

Teutonici. quotiens Romam fortuna lacessit,

Hac iter est bellis.

hoc idem localia et temporalia servant adverbium, quae omnes generaliter species localium vel temporalium tam adverbiorum quam nominum sibi subiungunt, quae tam interrogativa sunt quam relativa, quattuor differentias habentia: ad locum, ut ‘quo’, in loco, ‘ubi’, de loco, ‘unde’, per locum, ‘qua’. haec enim quoque relativa quidem gravantur per omnes syllabas, quando praeponuntur aliis dictionibus, quomodo et supra <17.133> dicta nomina, de quibus in libro, qui est de accentibus, latius tractavimus.

Nec mirum tamen, adverbium in interrogatione verborum poni, quae loco adiectivorum eis sunt. quomodo enim dico ‘bonus homo’, ‘celer equus’, ‘sapiens vir’, sic dico ‘bene vivit’, ‘celeriter currit’, ‘sapienter disputat’, cum et pronomina, quae loco nominum sunt, ad interrogationes nominativas soleant loco nominum reddi, ut ‘quis dixit?’ ‘Virgilius’ vel ‘Homerus’ vel ‘ego’, ‘tu’, ‘ille’.

Et sciendum, quod omnibus paene dictionibus possumus interrogative uti, sed isdem sufficienter respondetur vel adverbio negativo vel confirmativo, ut si interrogem ‘homo est ille?’ et respondeatur ‘homo est’, vel ‘legit-ne?’, ‘legit’ vel ‘non’ vel ‘etiam’, ‘doces?’ et ‘doceris?’ et ‘doceris’ et ‘doceo’ vel ‘non’ vel ‘etiam’. supra dictis vero nominibus vel adverbis, quia generaliter omnes in se species comprehendunt, omnibus sibi subiectis speciebus bene respondetur, ut si dicam ‘quis est ille?’, potest ad hoc omnis substantiae species responderi, quae est supposita interrogationi, ut ‘homo’, ‘equus’, ‘corvus’, ‘piscis’. similiter si dicam ‘qualis?’, omnes species qualitatis huiusmodi interrogationi bene

redduntur, ut ‘bonus’, ‘malus’, ‘albus’ ‘niger’ et similia. similiter ‘quantus?’ interrogantibus omnes species quantitatis aptissime subiciuntur, ut ‘longus’, ‘brevis’, ‘magnus’, ‘parvus’ et similia. numeri quoque omnes, si interrogative proferatur ‘quot’, congrue referuntur, ut ‘quot homines?’ ‘tres’, ‘decem’, ‘mille’ et similia. similiter possessivum infinitum ‘cuius cuia cuium’ ad omnes species possessivorum pertinet, ut si dicam ‘cuia est filia haec?’, recte respondeas ‘mea’ vel ‘tua’ vel ‘sua illius’ vel ‘Priameia’, ‘Euandria’. nec non etiam infinito gentili oportune respondemus nominibus <17.134> cunctis, gentilibus, ut ‘cuias est iste?’ si quis interroget, perite respondetur ‘nostras’, ‘vestras’ vel ‘Graecus’, ‘Romanus’, ‘Syrus’ et similia.

Sic igitur etiam adverbiorum supra dictorum ad omnes species sibi subiectas intendere possumus interrogationem, ut ‘qualiter?’ interroganti respondeo ‘bene’ vel ‘male’ vel ‘cito’ vel ‘tarde’ et similia, ‘quotiens?’ vero interroganti ‘semel’ vel ‘bis’ vel ‘centies’ et similia subicio. sic etiam localia. si interrogem ‘quo?’, respondes ‘huc’ vel ‘illuc’, ‘domum’ vel ‘militiam’, ‘Romam’ vel ‘in Italiam’; sin vero ‘ubi?’, respondes ‘hic’ vel ‘illic’, ‘domi’ vel ‘militiae’, ‘Romae’ vel ‘in Italia’. non solum enim adverbia huiusmodi localibus interrogationibus, sed etiam omnia nomina locos significantia licet subicere, ad locos quidem praecedente ‘quo’, in locis vero ‘ubi’, de locis ‘unde’, per loca ‘qua’. eodem modo et temporalia.

Infinitum ‘aliquando’, interrogativum et infinitum et relativum ‘quando’, ad quod omnia non solum adverbia, sed et nomina temporalia bene respondemus, ut ‘quando?’ ‘hodie’, ‘heri’, ‘cras’, ‘ante decem dies’ et similia.

Appellativa quoque nomini infinito, quod est ‘quis’, solent subiungi, sed magis generalia aut specialia, ut ‘quis invenit literas?’ ‘homo’; ‘quis utilis est aratro?’ ‘bos’; ‘quis natat in mari?’ ‘piscis’; sed videtur hic quoque res individua esse, cum de ipso generaliter animali est interrogatio. similiter, si dicam multis praesentibus ‘quis est de nobis grammaticus? quis orator? quis medicus?’ et respondeatur ‘ego quidem sum grammaticus, tu orator, ille medicus’, loco priorum hic accipiuntur nomina, cum de propria unius personae, quam ipsa habet, grammatica vel rhetorica vel medicina responderit.

<17.135> In definitionibus quoque solet ad interrogationem omnium rerum, quae definiri possunt, neutrum substantivi praeponi et multa appellativa differentiarum nomina ad id referri, ut ‘quid est animal?’ ‘substantia animata’, et per conversionem ‘quid est substantia animata?’ ‘animal’; ‘quid est homo?’ ‘animal rationale mortale’, et per conversionem ‘quid est animal rationale mortale?’ ‘homo’. idem licet facere per omnes definitiones, quamvis quantum ad generales et speciales formas rerum, quae in mente divina intellegibiliter constiterunt antequam in corpora prodirent, haec quoque propria possint esse, quibus genera et species naturae rerum demonstrantur.

(Est praeterea notandum, quod tam nomina infinita quam adverbia, si generalem habent pronuntiationem colligentem universitatem numerorum. de quibus loquitur, geminantur apud Latinos vel assumunt ‘cumque’, ut ‘quisquis’ vel ‘quicumque’, ‘qualisqualis’ et ‘qualiscumque’, ‘quantusquantus’ et ‘quantuscumque’ – Terentius in adelphis:

Tu quantusquantus nihil nisi sapientia es,
pro 'quantuscumque' –, 'quotquot' et 'quotcumque' – Horatius in II sermonum:

Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis –,
'utut' et 'utcumque', 'ubiubi' et 'ubicumque', 'undeunde' et 'undecumque',
'quaqua' et 'quacumque'.)

Inter 'aliquis' et 'ullus', et 'alicubi' et 'usquam', et 'aliquando' et 'umquam'
hoc interest, quod 'aliquis' et 'alicubi' et 'aliquando' absolute proferuntur, ut
'aliquis venit ad me', similiter 'alicubi fuimus', id est 'aliquo loco', et
'aliquando contigit', id est 'aliquo tempore'; sin autem dicam 'ullus', pendet ex
infinito omnium numero. necesse est enim 'ullus' omnium intellegere et cunctos
posse <17.136> numeros ad hoc referri, nec incongrue diminutivum esse unius
dicitur. et videtur hoc ad aliquid esse, quomodo 'summus' et 'imus', 'primus' et
'ultimus' ad omnia dicuntur, tam locis quam temporibus vel ordinibus subiecta
vel superposita. similiter 'usquam' ad omnia loca refertur et 'umquam' ad
omnia tempora.

Et sciendum, quod composita quoque eorum abnegativa sunt omnium
generaliter, quae per ea possunt significari, ut 'nullus omnium deorum' vel
'hominum' vel 'eorum quae sunt', id est quae cadunt sub homine; similiter
'nusquam' omnium locorum est abnegativum, et 'numquam' omnium
temporum.

Eandem habent differentiam ad simplicia infinita illa, quae componuntur ex
eis geminatis vel quae assumunt 'cumque', ut 'quis' infinitum ad unum per se
intellegendum pertinet – Horatius in II sermonum:

Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,

Quam si cum lumbis quis edat,

pro 'aliquis' –, 'quisquis' vero vel 'quicumque' ad universos dicitur. similiter
'quot' certum desiderat numerum, 'quotquot' vero vel 'quotcumque' ad
universos confuse dicitur. et 'quis' quidem simplex potest et infinitum et
interrogativum esse, compositum vero ab eo 'aliquis' tantummodo infinitum.
similiter adverbium 'quo', 'ubi', 'unde', 'qua' et 'quando' possunt interrogativa et
relativa et infinita esse – Virgilius in X:

Aspera quis natura loci dimittere quando

Suasit equos,

'quando' pro 'aliquando' –, 'aliquo' vero et 'alicubi' et 'alicunde' et 'aliqua' et
'aliquando' sine dubio infinita sunt tantum. et 'quis' vero, quod est substantiae
infinitum, pro 'qualis' et pro 'quantus' invenitur, 'qualis' vero et 'quantus' pro
'quis' non. Virgilius in III Aeneidos:

<17.137> Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?

'quis' pro 'qualis'. idem in VI:

Qui iuvenes! quantas ostentant, aspice, vires!

'qui' pro 'quales'. similiter adverbium 'qui', quod est a nomine substantivo
'quis', pro 'qualiter' accipitur, 'qualiter' vero pro 'qui', cuius propria
significatio est 'propter quid', non accipitur. Terentius in Andria:

Quis [tibi] videor? – Miser aequae atque ego,

'quis' pro 'qualis' dixit. idem in Phormione:

Quot me censes homines iam deverberasse usque ad necem,
Hospites, † tunc cives? quo magis novi, tanto saepius,
‘quo’ pro ‘quanto’. idem in eunucho:

qui istuc?

‘qui’ pro ‘quomodo’. idem in Andria:

Qui? quia te novi,

‘qui’ id est ‘propter quid?’

Et hoc tamen et alia quoque omnia adverbia interrogativa ad multas tendunt species interrogationum, quomodo et supra dicta localia et temporalia. et sunt eadem et relativa, ut ‘cur’, ‘quia’, ‘διὰ τί’ καὶ ‘διότι’. Horatius in I carminum interrogative:

cur apricum

Oderit campum?

idem in eodem relative:

et altis urbibus ultimae

<17.138> Stetere causae, cur perirent

Funditus,

‘cur’ διόπερ. idem in eodem:

neu miserabiles

Decantes elegos, cur tibi iunior

Laesa praeniteat fide,

‘cur’ διότι. ‘quia’ similiter Virgilius in V interrogative:

Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?

Terentius vero in adelphis:

Quia praeter spem evenit,

relative dixit, διότι. omnes enim species causarum eis respondentur, quomodo illis omnes species localium vel temporalium adverbiorum vel nominum. quae vero non ad diversas pertinent species, adverbia interrogativa esse non possunt, ut hortandi ‘heia’, vocandi ‘heus’, respondendi ‘hem’ et similia. invenitur ‘quisque’ pro ‘quicumque’, ‘qualisque’ pro ‘qualiscumque’. similiter adverbia ‘quoque’ pro ‘quocumque’, ‘quaque’ pro ‘quacumque’, ‘quandoque’ pro ‘quandocumque’. [Virgilius in VII:

o matres, audite ubi quaeque, Latinae,

pro ‘quaecumque’; potest tamen hic ‘ubi’ pro ‘ubicumque’ accipi.]

‘Quorsum’ quoque ex ‘quo’ et ‘versum’ compositum tam interrogativum quam relativum et infinitum esse potest omnium localium ad regionem aliquam vergere demonstrantium, ut si interrogem ‘quorsum vadis?’ bene redditur ‘horsum’, ‘istorsum’, ‘sursum’, ‘deorsum’, ‘dextrorsum’, ‘sinistrorsum’, ‘orientem versus’, ‘occidentem versus’ et similia. idem et relativum est, cum gravatur, ut si dicam ‘quorsum ille ierat, et ego ii’, et infinitum, ut ‘quorsum ille vadit, et tu vade’.

<17.139> ‘Quoad’ quoque et infinitum et interrogativum et relativum est. accipitur enim pro ‘quousque’ et pro ‘quando’, quod triplicem habet significationem, ut ostendimus. Terentius in Phormione:

quid? senem

Quoad expectatis vestrum?

interrogative dixit. idem et relativum est, ut 'quoad iussisti, parui', infinitum: 'quoad libet, scribo'. similiter 'quousque', 'usque ad quod tempus' vel 'usque ad quem locum', et interrogativum et relativum et infinitum potest esse: interrogativum, ut Cicero in I invectivarum: quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? relativum, ut 'quousque visum est doctori, didici', infinitum, ut 'quousque videatur tibi, venio'. et localia quidem adverbium frequentissime pro temporalibus ponunt auctores, temporalia vero pro localibus nusquam, ut Virgilius in V:

Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim

Gaudia pertemptant mentem,

'hic' pro 'tunc'. idem in II Aeneidos:

Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto,

'inde' pro 'postea' et 'deinde'.

Quoniam de his, quae loco articulorum accipi possunt apud Latinos, in supra dictis ostendimus et de generaliter infinitis vel relativis vel interrogativis nominibus, quae relationis causa stoici inter articulos ponere solebant, et de adverbium, quae vel ex eis nascuntur vel eorum diversas sequuntur significationes, consequens esse existimo, de pronominum quoque constructione disserere. articuli enim cum nominibus in oratione accipiuntur, ea vero pro nominibus. neque apud Graecos tamen pronomina demonstrativa, quippe praesentes ostendentia personas, quae in prima sunt cognitione, articulorum esse possunt capacia praepositivorum, quibus Latinitas caret, sicut docuimus. et manifestum, quod ideo et casus recipiunt pronomina, ut pro toto nomine subeant, id est pro omnibus eius casibus, <17.140> personarum-que omnium discretiva sunt, ut quod deest nomini, id est personarum discretionem, ea loco illorum prolata compleant, et nominis quidem habent casus, verbi vero personas. itaque undique declinantur duas generales declinationes assumptas, unam nominis, alteram verbi, nec per confusionem, sed per aptissimam partitionem: terminationi enim iniecerunt casualem declinationem, principio vero personarum divisionem. est enim planum, quod, si in eadem parte duae fierent declinationes, contingebat casus mutationem impedimento fieri personarum discretioni, et contra personarum transitione corrumpi casuum proprietatem, quare casum quidem discernens efficit 'mei, mihi, me', personam vero 'mei, tui, sui', personam vero et casum 'mei, tibi'. et in omnibus definitum est supra dictis, id est personis et casibus, in quibus etiam numeri manifestantur propter distributionem, quae in utramque partem eorum discessit, id est principium et finem. utraque tamen declinatio tam casuum quam personarum ad proprias partes absistens, id est ad nomen et ad verbum, fine utebatur, ut 'bonus, bona, bonum', 'boni, bonae, boni', 'scribo, scribis, scribit'. non arbitror necessarium esse, si quis quaerat: 'quare autem in pronomine non concedebat personis magis terminatio, quemadmodum in verbis, quam principium?', quia oportebat semel uni concedere parti finem et, si est dicendum, rationabiliter casuali, quippe cum prius est nomen verbo, quemadmodum ostendimus, et manifestum, quod eius proprietatem, id est casus, iure obtineat finem. praeterea pronomine est, quod pro

nomine accipitur et imitatur nomen. et certum quod accidentium est eius significationi, id est substantiae, quae innascitur, persona. et si terminatio obtinet maxime partes orationis, finis autem pronominis casus est, obtinebit per finem, ut ‘pronomen’ vocetur, quippe quo imitatur nominis <17.141> proprietatem, id est casum, quamvis etiam verbi subiit proprietates, id est persona.

Oportere iudico, antequam de singulorum constructione pronominum dicam, disserere de eorum proprietatibus, ex quibus manifestum tradendae fiat documentum constructionis.

Quoniam igitur praedictum est de praecipua et singulari demonstratione pronominis, quae fit in utraque parte, in principio personarum, in fine casuum, de ceteris videamus. apud Graecos alia sunt demonstrativorum pronominum absoluta, alia discretiva. absoluta dicuntur, quae non egent alterius adiunctione personae, quae ἐγκλιτικά, id est inclinativa apud illos sunt, ut εἶδέν με, ἐλάλησέν μοι; discretiva sunt, quae egent adiunctione aliarum personarum, quae ὀρθοτονούμενα vocant, ut εἶδεν ἐμέ, οὐκ ἐκέλευον: necesse est enim aliam inferre personam, quomodo in comparativis nominibus necesse est ad alias ea fieri personas, absoluta vero eorum, id est positiva, per se proferuntur. apud nos autem pronomina eadem et discretiva sunt, ut ‘vidit me’ vel ‘vidit me, illum autem non’. nominativus tamen primae vel secundae personae pronominum, si verbo iungatur, quia verbum per se absolutam magis personam significat, plerumque discretivus est, ut ‘ego dico, ille autem non’.

Accidit pronomini relatio in tertia persona, per quam praedicta nomina per recordationem pronominantur, id est per pronomen significantur, ut ‘Iuppiter postquam Troas et Hectors navibus appulit, ipse reiecit oculos claros’. et sciendum, quod demonstrativa pronomina <17.142> non aliquorum praedictorum loco nominum, quomodo relativa, sed eorum, quae proferri demonstrative non possunt, accipiuntur, relativa vero praedictorum quidem loco nominum, sed quae iterum accipi non possunt. si quis enim pro ‘ipse reiecit oculos claros’, ponat iterum ‘Iuppiter’, non colligit duas orationes ad Iovem, sed quasi principium alterius facit orationis. potest autem proprium nomen et ad diversas proferri personas, ut si dicam ‘Ajax venit ad Troiam, Ajax fortiter pugnavit contra Troianos’, dubium, an de eadem dicam persona, cum duo eiusdem nominis fuerint, ad quos supra dicti actus pertinere possunt; sin autem dicam ‘Ajax venit ad Troiam, idem fortiter pugnavit contra Troianos’, de una intellego persona. in omnibus igitur relativis pronominebus una eadem-que est oratio ex supra dicto nomine pendens. licet autem pro relativis pronominebus nomina ponere et orationem mutare, ut ‘Iuppiter tonat, Iuppiter fulminat’; eae enim orationes singulae per se possunt proferri et invicem converso ordine praepostere dici, cum non ad priorem refertur secunda, quod facit pronomen relativum, quod ad praedictum nomen refertur. quotiens vero ‘ille’ vel ‘hic’ non ostendendum ante oculos aliquid referunt, oportet intellegere, quod eorum demonstratio ad intellectum refertur; itaque quaedam sunt oculorum demonstrativa, ut ‘ego’ et ‘tu’, quaedam et oculorum et intellectus: oculorum, ut:

Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis;

intellectus, ut:

Hic pietatis honos? sic nos in scepra reponis?

Praeterea sola pronomina diversis vocibus diversas tertias faciunt personas, cum verba una voce ad plures personas pertineant tertias: dicimus enim 'scribit Probus vel Servius', vel quicumque potest hunc actum suscipere, non tamen hoc etiam in pronomibus. nam relativa quidem sunt 'ipse' vel 'is' vel 'sui', quod est primitivum, demonstrativa vero 'hic', 'iste' vel 'ille'. sed interest, quod 'ille' spatio longiore intellegitur, <17.143> 'iste' vero propinquiore, 'hic' autem non solum de praesente, verum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem, ut praedictum est, ut:

hoc regnum dea gentibus esse

Virgilius in I [ad absentem Carthaginem retulit demonstrationem]; 'iste' vero plerumque ad oculorum demonstrationem profertur. Virgilius in VI:

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit;

inveniuntur tamen etiam hoc de absentibus protulisse auctores, vel de eis, quae cerni non possunt, ut supra dictum est. Virgilius in XI:

sed nunc est omnia quando

Iste animus supra.

Terentius in adelphis:

iste tuus ipse sentiet

Posterius,

cum de absente Aeschino dicat. 'ille' quoque, cum est etiam relativum, potest tam de absente quam de praesente accipi, ut:

sic Iuppiter ille monebat,

et:

Tu-ne ille Aeneas?

et:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen.

licet tamen per figuram conversionis, id est κατ' ἀποστροφήν, absentis quasi praesentis loquendo uti secunda persona, ut Iuvenalis in II:

Tu-ne duos una, saevissima vipera, cena,

Tu-ne duos?

Quomodo tamen apud Graecos additur ι quibusdam pronomibus ad <17.144> vim significationis intendendam, ut ἐκεῖνοσί, οὐτοσί, ὀδί, sic etiam apud nos 'met, te, pte, ce' appositae intendunt significationem, ut 'egomet, tute, meapte, nostrapte, huiusce', de quibus, cum de pronomine tractabamus, latius diximus.

Definiuntur autem personae pronominum non solum demonstratione, quae praesentium cognitionem sub oculis ostendit, sed etiam relatione, quae absentium recognitionem habet. itaque bene dicebat Aristarchus, coniuga esse personis pronomina, cum similiter et coniuncte per omnes personas definiuntur vel demonstratione vel relatione, verba vero inconiuga, cum in prima quidem et secunda persona finiuntur, in tertia vero non, nisi praecipuus sit ad aliquem unum pertinens actus, ut 'fulminat' et 'tonat' de Iove solo intellegimus, non

quod verbum tertiae personae finitum est, sed quod is, qui eius significationem agit, proprium habet hunc actum. manifestum est igitur, quod ideo diversae sunt pronominis positiones in tertia persona, ne una voce diversae significentur personae. conseqebatur enim, ut ipsae quoque infinitae essent, quomodo in verbis tertiae personae, quod contrarium erat proprietati pronominum, quippe, cum una dictio plura significat, infinitatis causa fit; praeterea aliae quidem partes casuales a nominativo genetivum et ceteros casus ad consequentiam nominativi solent perficere.

Principalia vero pronomina, id est ‘ego, tu, mei, tui, sui, mihi, tibi, sibi’, positive magis per singulos casus declinantur, cum non potest ‘ego’ secundum rationem casualium ‘mei’ genetivum adhibere, neque tamen ‘mei’ genetivus ‘mihi’ et ‘me’ oportune asciscit, numeris quoque positive commutatis, ‘ego, mei, nos; tu, tui, vos’. nullus enim genetivus, qui non ex nominativo fit, convenienter declinatus potest numerum <17.145> pluralem nominativo consequentem exhibere; declinatus enim a nominativo congrue huic condeclinat tam sequentes casus quam numeros. itaque ἑτερόκλιτα, id est diversiclinia, necessario consequetur aliquis nominativus aptus genetivo, ex quo reliquae figurationes tam numerorum quam casuum redduntur, ut ‘itineris’ genetivus fecit ‘itineri’ et ‘itineria’, et ex hoc nominativus quoque ‘itiner’ necessario accipitur; similiter ‘precis’ et ‘vicis’ et ‘frugis’ et ‘lateris’, qui sunt genetivi, faciunt ‘preci’ et ‘vici’ et ‘frugi’ et ‘lateri’, et ‘preces, vices, fruges, lateres’; quapropter oportune inerunt nominativi supra dictis nominibus et ‘prex’ et ‘vix’ et ‘frux’ vel ‘frugis’ et ‘later’. ergo ‘mei’ genetivus non declinatus, sed positive factus consequentiam tam casuum quam numerorum recusavit, ‘ille’ autem et ‘iste’ et similia, cum genetivum a nominativo habent declinatum, habuerunt etiam reliquos casus et numeros consequentes.

Sed forte quaerat aliquis ‘cur consequentiam evitarunt pronomina et cur non omnia?’ nominum positio inventa est ad significationem qualitatum vel communium vel propriarum, quae sunt innumerabiles, ut ‘homo, Plato’. et quoniam neque demonstrationem habent ea neque relationem, quibus finiuntur personae pronominum, innumerabilis in eis, id est nominibus, positio fiebat, ut singulorum figuratio nominum singulis reddat suppositorum suam qualitatem, quare non mediocriter disturbant qualitatis significationem, cum in unam concidant vocem nominum positiones tam in propriis quam in appellativis. inde caruit definitione persona ea, quae in nomine ipso intellegitur; nec mirum, cum propria quoque nomina, quamvis <17.146> ideo ponantur, ut unumquemque ab aliis omnibus discernant, incerta sint tamen, cum non possint omnes eius qualitates, quae illum separant ab aliis omnibus, ostendere absque demonstrationis auxilio, quae fit per pronomen. quamvis enim sciamus, quod poeta sit Virgilius et filius Maronis, cernentes eum, si posset fieri, nesciebamus, eius esse hoc nomen, nisi si qui nobis eum demonstrans dixisset: ‘hic est Virgilius’. propter quod per singulas figurationes separatus nominativus exigebat obliquos casus congruos proprietatis suae, ne fieret significatio tam confusa. inde etiam genera necessario subeunt, ut cum qualitate figurationis discernant etiam genus. inde inventae sunt etiam adiectivae positiones, ut

consequentia nominibus communibus vel propriis compleantur, ut equo ‘albus’ vel ‘fortis’, Platoni vero ‘sapiens’ vel ‘bonus’ adicitur, Marti ‘Gradivus’ et alia multa, quae possunt accidere. unde etiam compositiones sunt inventae, ut ‘beneficus, maleficus, omnipotens’, quae ex accidentibus conficiebantur [quae sunt qualitatis vel quantitatis]. pronomina vero ea, quae ad nihil aliud aspiciunt per demonstrationem nisi ad propriam aliquam substantiam et ad ei accidentes qualitates, quae possunt oculis conspici, ut ‘album’ vel ‘nigrum’, ‘longum’ vel ‘breve’, – voce autem ipsa pronominis non manifestantur nisi substantiae, – iure plurimas recusaverunt vocum figurationes, quippe cum singulae earum per singulos casus pro omnibus accipiantur nominibus: in omnibus enim rebus substantiae quidem singulae sunt, qualitates vero multae, quae nomine volunt intellegi. quod si verum est, naturaliter abstitit ab eis nominum consequens declinatio, ne, cum pro omnibus accipiantur nominibus, uni eorum terminationi succedant. et cum unicum ad omnia, quae sunt, habeant significationem, ut una voce generalis proprietates omnium demonstrent, <17.147> unicum habuerunt etiam vocis declinationem, ut singulas varient personarum et casuum prolationes, nulli obnoxia regulae, quae in unicis nec locum habere vocibus poterat. manifestum est autem, quod et prima et secunda persona, in quibus sola est demonstratio, singulas habent voces. itaque genera quoque omnia non abscisa propriis terminationibus, sed per eundem finem congruam habuerunt positionem, quippe cum per ea demonstratio substantiam per se significat absque discretionem generum. ‘ille’ autem et ‘ipse’ et ‘hic’ et ‘iste’ et ‘is’, quia in diversis tertiis poterant esse personis absentibus vel praesentibus et longe vel iuxta positus, definitionis causa manifestandae etiam genus cum consequenti declinatione acceperunt.

Quemadmodum nomina, sic etiam pronomina per singulos casus similiter cum verbis construuntur. et nominativis quidem intransitive, obliquis vero transitive verba coniunguntur, ut ‘Theoctistus’ vel ‘iste currit’, ‘Theoctisti’ vel ‘istius misereor’, ‘Theoctisto’ vel ‘isti praebeo’, ‘Theoctistum’ vel ‘istum video’. ablativus etiam ceteros obliquos sequitur, ‘Theoctisto’ vel ‘isto gaudeo’; nam vocativus quoque intransitive secundis adiungitur verborum personis, cum proprius sit naturaliter secundae personae, ut ‘Theoctiste’ vel ‘tu noster doctor legis’ vel ‘lege’. Virgilius in X:

vigilas-ne deum gens

Aenea? vigila.

obliqui tamen constructionem verborum, quae fit intransitive cum nominativis, excipiunt transitive, nisi sint verba absoluta, ut ‘Theoctistus’ vel ‘iste vivit, spirat, floret, viget’ et similia: ea enim non egent <17.148> obliquorum adiunctione, id est transitione in alias personas, affectus tamen singulorum ostendentibus verbis, ut ‘ego doceo illum’ vel ‘Theoctistus docet Priscianum, ego doceor ab isto, tu doceris ab illo’. sciendum autem, quod impersonalia, sive transitive sive intransitive proferantur, obliquis casibus iunguntur, nisi per defectionem proferantur: intransitive, ut ‘curritur a me’ pro ‘curro’ vel ‘statur a te’ pro ‘stas’ vel ‘sedetur ab illo’ pro ‘sedet ille’; quamvis in eis quoque potest ipsa res intellegi voce passiva, ut ‘curritur cursus’ et ‘bellatur bellum’, unde

etiam, si non addatur a quo, potest tamen sensum complere ipsius rei, quae agitur. Virgilius in VII:

certatur comminus armis.

Terentius in eunucho:

quid agitur? – Statur.

transitive, ut ‘miseret me tui, pudet te mei, paenitet illum sui’. ‘mei’ autem et ‘tui’ et ‘sui’ genitivos hic intellegimus primitivorum, qui iidem et possessivorum sunt genitivi. nec mirum, eandem vocem mutatione significationis ad aliam speciem transire, cum soleat diversa significatio easdem voces etiam ad alias partes transferre, ut nomina in adverbia, sublime volat pro ‘sublimiter’, sole recens orto pro ‘recenter’, et contra adverbia in nomina, ut sponte sua, et mane novum, et participia in nomina, ut ‘amans’ ὁ ἐραστής, ‘sapiens’ ὁ σοφός, ‘doctus’ ὁ εὐπαίδευτος, ‘factum’ τὸ ἔργον; carent enim tempore in his significationibus. igitur non voces magis valent in partitione dictionum quam earum significationes.

Loco nominum pronomina ponuntur, non, ut quidam existimant, propter nominum ignorantiam. quae enim ignorantia nominum est, cum dicat Aeneas ad Didonem:

<17.149> ego te, quae plurima fando

Enumerare vales?

sed manifestum, quod quia non possunt nomina in prima et secunda esse persona, ut ostendimus. at dicet aliquis «quid igitur? non etiam ignoratis nominibus dicimus ‘ego’ et ‘tu’?» ad quem respondendum est, quod ex accidente hoc fit, [id est demonstratione propriae qualitatis], cum similiter etiam cognita nomina pronominae saepe exigunt constructionem. non minus tamen sic quoque loco eorum accipiuntur. vi enim proprium nomen intellegitur per pronomen: non dico vocis nomen, sed quod ex ea ostenditur, id est propria qualitas suppositi, in qua sunt propria nomina. quamobrem ad nihil utile pertinent pronomina, si carent personis ostendentis et eius, qui ostenditur. itaque cum scribuntur per se pronomina, nimium infinita sunt, scilicet cum sua materia excidunt [id est demonstratione propriae]. unde rationabiliter, qui sibi invicem scribunt, solent nomina praeponere propria, quibus sine perfectio orationis non constaret, cum ponantur pronomina tam primae quam secundae personae propter accidentes actus tam scribenti quam illi ad quem scribit. praepositis igitur nominibus propriis, ut ‘Cicero Bruto’, vi ad ea demonstrationes faciunt pronomina. si enim ponam ‘ego tibi et dudum scripsi’, ostendit per pronomen ‘ego’ nominis praepositum nominativum, per ‘tibi’ autem dativum secundae personae, qui loco dativi nominis praepositi accipitur. nec dubium est, quod sublatis nominibus antepositis etiam pronomina infinita fiunt.

Est autem causa, propter quam nomina non possunt accipi in prima et secunda persona, quam superius quoque diximus, vel quod substantiae et qualitates generales et communes et speciales et individuae, in quibus sunt nomina, non habent certam discretionem personarum, ut puta ‘omnis homo’ et substantia potest dici et animal et homo, et nominari ‘Plato’ vel ‘Cicero’ vel

‘Virgilius’ vel quodcumque ex propriis nominibus potest imponi uni alicui ex omnibus. prima autem persona ad nullum pertinet nisi ad ipsum qui loquitur; nec secunda ad alium nisi ad eum <17.150> in quem intenditur sermo vel propter hoc autem vel etiam propter illud, quod non ipsi nobis imponimus nomina, quod suum est primae personae, nec ad eos qui nascuntur intendentes sermonem, quod est secundae personae, eorum positionem (id est nominationem) facimus. necesse est ergo in tertiam personam concedere nomina per omnes casus absque vocativo, qui primus transfert positionem a tertia persona ad secundam, propterea quod per eum fit demonstratio praesens eius, in quem facta sit positio nominis. illud quoque manifestum, quod a nobis verba facientes, id est proferentes, ad alias debemus ea personas intendere. et apparet, quod non licet nominibus uti, quod tertiarum sunt ea personarum, sed ratio exigit a prima ad secundam fieri verba; quamobrem subierunt pronomina, hoc quod non poterat nomen complementia, cum dicimus ‘ego tibi scripsi’.

Praedicta autem est causa, quapropter pronomen unum pro omnibus accipitur nominibus, id est quod demonstrationem vel relationem habet alicuius certae substantiae, quae in omnibus propriis est nominibus, una eadem-que voce significanda. nemo tamen putet, quod nihil usus habeant tertiae pronomina personae, cum omnia nomina in eam possunt personam accipi, et dicat: ‘si possent in prima et secunda inveniri nomina persona, fortassis nec excogitarentur pronomina’. nam possumus ad hoc dicere, quod pronomina semel nominum loco nata ex accidente habuerunt etiam demonstrationem; sub oculis enim omnes eorum personae plerumque cernuntur. itaque praecipuum habuerunt accidens demonstrationem, quae profecta per coniunctionem primae et secundae personae pervenit etiam ad tertiam. non igitur quod non habet tertias personas nomen, ideo excogitata sunt pronomina, sed quoniam expers est demonstrationis, quae est in pronomibus. itaque inest utrumque in illo Virgiliano:

hic Caesar et omnis Iuli

Progenies,

<17.151> satis necessarium. quia enim cernitur Augustus, demonstratione usus est per pronomen, quae nomine fieri non poterat hic; ut autem qualitatem quoque propriam ostenderet personae, quam demonstraret, addidit ‘Caesar’.

His itaque ita se habentibus certum est, quod, si dicam ‘Priscianus scribo’ et his similia, sine dubio incongrue dico, nec propter aliud quid nisi propter personarum inconsequentiam: tertiae enim personae est nomen, verbum vero primae; est igitur consequens, quod in duabus tertiis profertur, ut ‘Priscianus scribit’. non tamen omnino ubique hoc observamus; quae enim substantiam significant verba vel nominationem, asciscunt aptissime nomina et in prima et in secunda persona, id quod est in aliis inconsequens, ut sum pius Aeneas, ‘Cicero nominor’ et his similia, quamvis auctores inveniantur licentia solita utentes et aliis quoque verbis primae vel secundae personae coniungentes nomina, ut Homerus:

Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὃς σε πάρος γε
ῥύομαι.

Euripides in Hecuba:

ἦκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Λιπῶν . . . Πολύδωρος.

idem in Bacchis:

ἦκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίαν κατὰ
Διόνυσος.

<17.152> Thucydides: ἦκω Θεμιστοκλῆς παρὰ σέ, in quibus omnibus deest 'ego'; nostri quoque, ut Iuvenalis in III:

Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis
Euandrum, venies Tirynthius aut minor illo
Hospes,

deest enim 'tu'.

Supra dictis vero, id est substantivis, et sine pronomine bene omnes adiunguntur personae et vocativis verbis. cum enim ipsa verba per se substantiam uniuscuiusque propriam colligant vel substantiae nominationem, necessario relictis pronomibus, quae ipsa quoque substantiam quantum ad vocem solam significant, ad nomina se applicant, quae propriam qualitatem demonstrant, ut 'homo sum', 'Apollonius vocor'; unde 'ego sum' vel 'ego vocor' per se nemo dicit, cum duplicata substantiae demonstratio sine qualitate nihil perfectum significaret. non erat enim possibile propriam positionem, quae significatur nomine proprio, attribuere voci communi, id est ad omnes generaliter pertinenti, quod est pronomen, si diceremus 'ego sum', 'ego nominor', verba ad pronomen referentes. nam significationem non propriae qualitatis, sed quae communiter omnibus accidit essentiae demonstrativae faceremus, ad quam pertinet 'ego'. eadem est ratio in ceteris quoque personis. manifestum est igitur, quod, quia confitentur suam positionem nominum supra dicta verba, id est nominationem, evocant ea a tertia ad primam, quando dico 'Priscianus sum' vel 'Cicero vocor', cum specialem substantiam, quam pronomen additum demonstraret, habeat in se ipsum verbum substantivum vel vocativum.

Itaque frequenter invenimus, demonstrativis pronomibus sitis non posita supra dicta verba tamen intellegi, ut Virgilius in VI:

<17.153> hic Caesar et omnis Iuli

Progenies.

adeoque demonstratio huius est causa, quod adverbis quoque demonstrativis saepe positis, non est necesse addere supra dicta verba, ut Virgilius in I Aeneidos:

Tu-ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae?

idem in III:

Nam Polydorus ego.

idem in eodem:

Ecce tibi Ausoniae tellus, hanc arripe velis.

nec non etiam nomine substantiae posito frequenter deficiunt verba substantiva.

Lucanus in I:

Quis furor, o cives, quae tanta insania ferri!

Virgilius in IIII Aeneidos:

Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus!

Quos-ve dabas gemitus!

et 'qualis' tamen et 'quantus' positus infinitis, pro quibus etiam 'quis' ponitur, saepius deficiunt verba substantiva, quomodo etiam participiis, ut Iuvenalis in IIII:

O qualis facies et quali digna tabella!

Virgilius in I Aeneidis:

Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,

Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucris,

Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,

Pollicitus.

(non tamen etiam, si dicamus 'Cicero accuso', bene dicitur, ut si dicam 'Cicero sum'; non enim accusationis verbum proprietatem sic significaret substantiae, quomodo substantivum verbum, vel nominationis, <17.154> quae per vocativum verbum indicatur.) participiis quoque, quae tertiae sunt personae, quomodo nomina, substantiva bene sociamus verba, ut possint loco trium verbi personarum fungi, ut 'amatus sum, es, est, doctus sum, es, est'. quae si deficient, infinita pro his subeunt nomina substantiae cum verbo, ut 'ego sum, qui amor', id est ὁ φιλούμενος, vel 'tu es, qui amasti', id est ὁ φιλήσας; haec enim desunt apud nos participia. et attende in his quoque quanta vis est substantiam significantium, quod et loco participii, quod et substantiam ipsius, qui agit vel patitur, et actum vel passionem significat, accipitur nomen substantivum cum verbo – ut 'quid est amans?' 'qui amat', 'quid est nascens?' 'qui nascitur' – et loco verbi participium cum verbo substantivo, ut 'pransus sum' pro 'prandi', 'meritus sum' pro 'merui'. et nota, quod, cum et nomen, ut supra diximus, et verbum substantivum invicem, hoc cum participio positum loco verbi, illud cum verbo loco participii fungitur, ad omnes quoque personas pronominum refertur: 'ego qui scripsi, tu qui scripsisti, ille qui scripsit'. quomodo autem pronominibus vocativa verba non adiunguntur, sic nec participiis, quippe ad nominationem pertinentia. substantiva vero aptissime adiunguntur, cum actus vel passionis essentiam cum participiis significant, ut 'amatus sum, es, est'.

Deinde dicendum de constructione pronominum ad verba. obliqui casus pronominum omni modo ad verba feruntur, quomodo et nominum, ut 'illius misereor, illi noceo, illum accuso, illo nitor'. ex qua constructione intellegitur, qualis nascitur affectus personae, sed non recipitur, quod dicimus. non enim omnia verba obliquos desiderant casus nominum vel pronominum, quomodo omnes obliqui casus verba desiderant, quoniam quaedam ex his perfecta sunt et absoluta, quaedam defectiva, ut si dicam 'ambulat homo, vivit, currit, sedet', similia, <17.155> quae sunt absoluta, non egent obliquis casibus; sin dicam 'accusat, videt, insimulat', imperfecta sunt et egent obliquorum casuum adiunctione ad perfectionem sensus. sed de his oportunitus separatim, cum de verbi constructione tractemus, dicetur.

Quidam tamen putaverunt, perfectiorem esse verborum constructionem, si pronomina assumant: 'ego scripsi tibi, ego loquor tibi' et similia, cuius

approbationem dicunt esse eam, quod, cum dicam ‘ego quidem affui, tu vero non’, si tollas pronomen, incongrua erit locutio. sed hoc facit hic maxime coniunctio ‘quidem’. itaque ego non arbitror, quod dicunt, verum esse generaliter; non enim omnimodo egent pronomibus verba, id-que affirmatur non ex poëtica solum constructione, cui licet et deficere et abundare, sed ex communi elocutione doctorum et maxime a scriptorum constructione, qui sine metris scribentes perspicaci magis ea utuntur et ex vi ipsius orationis solent quod necessarium est apponere.

Cum manifestum est de obliquorum constructione, sciendum, quod insunt in quibusdam partibus orationis aliarum partium intellectus, ut, si dicam ‘Aiax’, intellego et unum per numerum singularem; si dicam ‘Anchisiades’, intellego genitivum singularem primitivi et ‘filius’ cum nominativo singulari; si dicam ‘divinitus’, intellego nomen cum ‘ex’ praepositione [id est ‘ex diis’]; si dicam ‘fortior’, intellego ‘magis’ et positivum primitivi [id est ‘fortis’]. innumerabilis est huiuscemodi exemplorum copia. nec est dicendum, quod, si dicam ‘Anchisiades’, deest et debet ei addi ‘filius’ – et si addatur, poëtica est licentia, quomodo et praepositiones solent addere et minuere, ut Terentius in Andria:

Ad te advenio spem, salutem, auxilium, . . . expetens.

Virgilius in I Aeneidos:

scelere ante alios immanior omnes;

<17.156> ‘ante’ enim cum comparativo positum auctionem auctioni addit.

Terentius in Andria:

post deinde,

Quod iussi, ei † dare bibere,
abundat ‘post’. idem in eadem:

per . . . nimium, non laudo,

‘per’ supervacuum esse videtur, quamvis amplioris significationis causa potest accipi. idem in eadem:

abhinc triennium

pro ‘hinc’. Virgilius in I:

Italiam fato profugus,

deest ‘ad’ praepositio –, neque si dicam ‘Aiax’, quod est singulare, deest ‘unus’.

In verbis igitur similiter accidunt, quae una cum eis intelleguntur, ut in indicativis ipsa indicatio et, quae ex ea intellegitur, affirmatio. unde ad interrogationes respondentes ‘etiam’ adverbium confirmativum vel ‘non’ vel verbum indicativum reddimus, utpote habens in se affirmationem, ut interrogandi ‘legis?’ ‘etiam’ vel ‘non’ respondemus vel ‘lego’. sed et de his in constructione verborum subtilius tractabimus.

Inest etiam singularis numerus in verbo ‘scribo’ nec eget, ut addatur ‘unus’, manifestum-que, quod etiam nominativus pronominis inest in verbo. ergo si supra dicta non desunt, quia intelleguntur, nec pronomen deest, nec tamen, si addatur, vituperanda fit constructio. est enim quando amplioris causa significationis adduntur ea, quae possunt, etsi non addantur, intellegi, ut ‘legis?’ ‘etiam lego’; ecce enim hic, quamvis adverbium ‘etiam’ per se positum intellectum verbi habeat praedicti in interrogatione, tamen additum non fecit

vitiosam orationem, sed magis certiore; <17.157> firmior enim fit promissio duplici confirmatione. similiter unum hominem dicimus ‘ambulare’ ad diversorum multitudinem, non quod ipsi ‘homini’, cum singulariter dicimus, non inhaereat etiam ‘unius’ numeri intellectus. iterum ad omnium abnegationem dicimus ‘nullus ambulat, neminem inveni’, singulari numero numerum adiungentes singularem. eodem igitur modo, cum absoluta et non discretiva inest prolatio, dicimus absque pronomine ‘disputo, disputas’; sin autem alicuius rei discretionem volumus manifestare, addimus pronomen, cuius proprium est discernere personas: non enim, ut indicemus personam, hoc facimus, eam enim habent in se verba. unde infinita eorum, quia deficiunt personis, egent verbis indicativis, ut quod deest ex his assumant. ergo discretionis causa, et maxime si coniunctio assumitur, pronomen additur verbo, ut ‘ego quidem affui, tu vero non’ vel ‘ego quidem scripsi, ille vero legit’, vel amplioris causa significantiae, in quo tamen ad alios omnes videtur fieri discretio, ut Cicero in I invectivarum: nos, nos, dico aperte, nos consules desumus, intellegimus enim, quod nemo alius nisi nos. Terentius in Andria:

† ego tibi, furcifer, si vivo,
† Ostendam, quid sit pericli dominum fallere,
Et illi patrem.

et prima quidem vel secunda persona verborum, nisi discretionis vel significationis causa, non egent pronomibus, quippe cum sint finitissimae singulis-que vocibus pares habeant et praesentes demonstrationes; tertiae vero cum sint innumerabiles, una verbi voce utentes necessario confusionem faciunt infinitam. itaque convenienter ad eam discernendam pronomina, quae sunt finita, adiunguntur tertiis verbi personis, ut per eorum adiectionem incerta significatio finiatur, ut ‘scribit hic, scribit ille, scribit ipse, scribit is, scribit idem’. Sallustius in Catilinario: <17.158> verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur. ‘is’ in hoc loco et relativum et discretivum est ad omnes.

Impersonalia quoque verba, cum per se infinita sint, personarum et numerorum additione pronominum definiuntur et loco perfectorum per omnes modos accipiuntur verborum, ut ‘curritur a me, a te, ab illo, a nobis, a vobis, ab illis’; imperativo, ‘curratur a te, ab illo, a nobis, a vobis, ab illis’; similiter optativo, ‘utinam curreretur a me, a te, ab illo, a nobis, a vobis, ab illis’; sic etiam per cetera, frequentissime tamen sine additione pronominum proferuntur et ipsum actum significant, licet deficiant pronomina, ut Iuvenalis in III:

Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae
Thebaidos.

Virgilius in I Aeneidos:

O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,

deest enim ‘tibi’. idem in eodem:

mecum-que fovebit
Romanos, rerum dominos, gentem-que togatam.
Sic placitum,

deest 'mihi'.

Et passivam quidem vocem habentia ablativo vel dativo more passivorum coniunguntur et intransitive intelleguntur, ut 'curritur a me' vel 'mihi'; activam vero, si sint a perfectis verbis, eorum constructionem servant, ut 'iuvat me, quia iuvo te' – Virgilius in II georgicon:

Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum –;
'placet mihi, quia placeo tibi; contingit mihi, quia contingo tibi'. similiter 'evenit, accidit', cetera quoque dativo copulantur et intransitiva sunt, ut 'licet, vacat, libet mihi', exceptis his, quae accusativum simul et genetivum assumunt: 'paenitet, pudet, taedet, piget, miseret me illius'.

<17.159> Duo inveniuntur, quae, cum genetivis aliorum omnium casualium applicantur, quinque tamen solis pronomibus, quorum similes sunt genetivi primitivorum genetivis derivativorum, ne concidant, ablativo possessivi pro genetivo primitivi construuntur, ut 'interest mea, tua, sua, nostra, vestra', similiter 'refert mea, tua, sua, nostra, vestra' (in quibus subauditur 'in re', id est 'in utilitate mea, tua, sua, nostra, vestra'). nam si dicamus, 'interest' vel 'refert mei, tui, sui, nostri, vestri', non ad primitivam personam, sed ad possessionem intellegitur: 'interest mei filii' vel 'fratris' vel 'tui' vel 'sui' vel 'nostri' vel 'vestri'. cum ceteris enim quoque omnibus casualibus, id est nominibus, pronomibus, participiis, supra dicta verba coniuncta genetivum exigunt casum, ut diximus, ut 'interest imperatoris, interest meorum natorum, interest docentis' (id est 'pro docenti'). nam participia tam nominum quam verborum sibi defendunt structuram.

Et verborum quidem constructionem servant, quando vel absoluta vel transitiva sunt ad alia casualia, quibus ad consequentiam verbi coniunguntur: absoluta, ut 'spirans vivo, ambulans cogito', quia et 'spiro' et 'ambulo' absoluta sunt; transitiva, 'miserere tui, miserens tui'; 'noceo tibi, nocens tibi', 'laudo te, laudans te'; 'potior illa re, potiens illa re'. et haec quidem secundum verbum; secundum nomen autem participia construuntur, quod, quemadmodum verba vel intransitive cum nominativo vel transitive cum obliquis nominum ponuntur, sic etiam cum participiis intransitive, ut 'Virgilius scribens floret, ego intellegens delector', transitive, ut 'egeo miserantis, consentio miseranti, video miserantem, potior miserante'. hae enim constructiones quoque obliquorum ad similitudinem nominum et pronominum fiunt, ut 'indigeo illius, indigeo pascentis, faveo legenti', quomodo 'faveo amico, faveo illi; accuso illum, accuso hominem', similiter 'accuso legentem; dignor te laude, dignor te illa, dignor <17.160> te celebrante'. est tamen quando in nominum vim transeunt participia et genetivo coniunguntur relicta verborum ordinatione, ut 'fugitans lites' participium est, 'fugitans litium' nomen; 'amans illum' similiter participium, 'amans illius' nomen, unde et comparatur 'amantior, amantissimus'; 'praefectus urbi' participium, quia et 'praeficior urbi', 'praefectus urbis' nomen. participium autem comparisonem habere non potest, cum loco verbi fungatur, quod comparatione penitus caret, quantum in sua voce: nam adiectione adverbii possunt comparari, ut Virgilius in I:

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam

Posthabita coluisse Samo,
'magis coluisse'; similiter participio additur, 'magis hunc colens quam illum'. et ad nomen quidem loco verbi fungitur, ad verbum vero loco nominis, ut 'faciens eloquentem' dico pro 'qui facit eloquentem', et 'laudo legentem', quomodo 'laudo lectorem'; nec mirum pro utroque fungi, cum utrique accidentia possideat.

Et sciendum, quod, si praeponatur coniunctio casuali, necesse est aliam quoque partem casualem copulari et ad utramque verbum referri, ut 'et Dionysius loquitur et Trypho', 'et Apollonius scripsit et ego', 'et vigilans proficit et legens'; et contra, si verbo praeponatur coniunctio, necesse est aliud verbum ei coniungi et ad utrumque aliquid casuale referri, ut 'et scribit et legit Trypho, et pugnat et vincit Aeneas'. licet tamen verba primae vel secundae personae repetenti nihil casualium adiungere et perfectam orationem ostendere, ut 'et lego et intellego, et doceo et doceor, et scribis et cogitas'; nam ipsa demonstratio loco casualis alicuius fungitur, cum et pronomen et nomen per eam intellegitur, tam in prima quam in secunda persona; nam tertia verbi persona, quae infinita est, eget aliquo casuali. quod autem fit in nomine, hoc etiam in adverbio, quod vi adiectivum est verbi, exigit ratio fieri, ut 'et bene et docte scribit'. necesse est enim, coniunctiones praepositas vel diversas personas coniungere, quae <17.161> sunt in casualibus, vel qualitates, quae sunt in adverbis, communiter autem actum vel passionem consequi, quae est in verbo vel in participio, vel actus copulari, communes autem personas consequi, vel qualitates ipsi actui accidentes geminari, et tunc actum inferre. si enim non praeponatur coniunctio, licet diversas inferre partes, ut 'scribit Dionysius et Trypho'; 'scribit Dionysius et legit'. si enim praeponam coniunctionem dicendo 'et scribit Dionysius', necesse est alterum verbum subiungere et dicere 'et scribit Dionysius et legit'; rursus si dicam 'et Dionysius scribit', necesse est alterum casuale inferre et dicere 'et Dionysius scribit et Apollonius', quippe cum praeposita coniunctio copulativa vel disiunctiva omnimodo consimilem cogit partem repetere, id est vel casualem vel carentem casu, et eundem casum vel modum, ut 'et scribo et intellego, vel scribo vel intellego; et meus servus et tuus, vel meus servus vel tuus'.

Sciendum tamen, quod licet genetivis in huiusmodi constructione copulare nominativos possessivorum, quippe qui vim genetivorum primitivorum suorum possident, ut 'pulcherrimi sunt et Homerici versus et Virgilio'; similiter licet dicere 'Agamemnonius filius et Menelai filia sociati sunt; frater noster et vestrum; meus servus et illius'. nec solos nominativos possessivorum, sed quoscumque casus bene possumus cum genetivis possessive prolatis coniugare, ut 'meus est ager et fratris; tua est civitas et omnium; mei filii est hereditas et cognatorum; meo servo et fratris; meum amicum et patris; mi filii et uxoris meae; meo filio delector et castae matris'. similiter omnia possessiva possunt proferri, tam nomina quam pronomina. genetivos quoque et ablativos invenimus coniungi verbo impersonali, quod est 'interest' et 'refert', de quibus supra diximus, ut 'interest mea et patris, refert tua et imperatoris'.

<17.162> Modos quoque, ut diximus, necesse est supra dictis coniunctionibus praepositis eisdem plerumque adiungi, ut ‘et legis et discis, aut legis aut discis; et lege et disce, aut lege aut disce; utinam et legeres et disceres, utinam aut legeres aut disceres; cum et legas et discas, cum aut legas aut discas; cupis et legere et discere, cupis aut legere aut discere’. licet tamen variare, ut ‘et legisti et lege; et legisti et utinam legas’.

Casus quoque eisdem sociari exigunt copulativae vel disiunctivae, praepositae vel interpositae coniunctiones, quando unum verbum ad eos refertur, ut ‘et ego et tu legimus, vel mei vel tui miseretur, et mihi et tibi prodest, vel me vel te laedit, vel Virgilio vel Cicerone delector’.

His constructionibus inveniuntur contraria quaedam apud auctores, licet non repetantur coniunctiones supra dictae, sed interponantur, quomodo si repetantur. Virgilius in I Aeneidos:

Succinctam pharetram et maculosae tegmine lyncis;
sed melius in quibusdam codicibus sine m pharetra ablativus invenitur; quidam tamen lyncis cursum a communi accipiunt. idem in VII:

Quod scelus aut Lapithis tantum aut Calydone merentem;
sed melius hic quoque in quibusdam invenitur:

Quod scelus aut Lapithis tantum aut Calydone merente,
vel:

aut Lapithas tantum aut Calydone merentem.
eandem quaestionem habet etiam illud:

<17.163> Iustitia-ne prius mirer, belli-ne laborum.
sed invenitur etiam:

Iustitiae-ne prius mirer,
quod est aptius; similes enim haec quoque coniunctio dubitativa vel interrogativa exigit casus; hoc autem saepe fit, ubi anceps est constructio dictionum; nam et ‘succingor hanc rem’ et ‘succingor hac re’ dicimus. Virgilius in VI:

palla succincta cruenta,
idem in IIII Aeneidos:

tuum-que
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

[et:

Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit, concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydone Dianae,
Quod scelus aut Lapithis tantum aut Calydone merente,

et:

Quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydone merentem.]
utrumque bene dicitur et ‘miror te iustitia’ et ‘iustitiae’. et rectius quidem, ad praepositum casum esse etiam consequentem interposita coniunctione, non tamen penitus absque ratione esse videtur, si quid tale inveniatur apud auctores.

Pronominum obliquis casibus coniuncta verba duas exigunt personas, afficientis et afficiendi, id est agentis et patientis, ut ‘misereris mei, das

<17.164> mihi, vides me, dignaris me'. similiter in omnibus casualibus et in reciprocationibus personarum, hoc est quando eadem persona et agit et patitur, utimur eisdem constructionibus, ut 'misereor mei, invides tibi, orat se ille' et similia.

Nulla praepositio per compositionem potest pronomini adungi. itaque per solam appositionem obliquis casibus eorum praeponitur: apud Graecos quidem fere omnibus, apud nos vero accusativo soli vel ablativo, ut 'ad nos, in nobis'. nominibus vero praepositiones adiciuntur, tam per appositionem quam per compositionem: compositionem quidem, quae fit in nominativo, cuius servant compositionem etiam obliqui, ut 'indoctus, indocti, indocto, indoctum, indocte', per appositionem vero supra dictis duobus obliquis casibus. verbis vero et adverbis per solam compositionem adiunguntur praepositiones, participiis autem tam secundum verbi compositionem quam secundum nominis appositionem, ut 'perlegens' a 'perlego', 'efficiens' ab 'efficio', 'ad legentem, a legente' ut 'ad puerum, a puero'.

Sciendum tamen, quod recta ordinatio exigit, ut pronomen vel nomen praeponatur verbo, ut 'ego et tu legimus, Virgilius et Cicero scripserunt', quippe cum substantia et persona ipsius agentis vel patientis, quae per pronomen vel nomen significatur, prior esse debet naturaliter quam ipse actus, qui accidens est substantiae. licet tamen et praepostere ea proferre auctorum usurpatione fretum.

Prima et secunda persona vel in se reciprocantur, id est refringuntur, vel in alias diversas transeunt, cum non absolutis verbis adiunguntur. in sese quidem reciprocantur, ut 'misereor mei, misereris tui; noceo mihi, noces tibi; laudo me, laudas te'; in alias vero diversas transeunt, ut 'misereor illius, misereris mei; noceo tibi, noces illi; laudo te, laudas illum'. tertia vero persona non solum eadem patitur, sed etiam in aliam tertiam <17.165> extrinsecus potest transire, quippe cum diversae in ea possunt esse personae, quod in prima et secunda non invenitur, quippe cum sint et vocibus unicae, ut 'iste accusat illum et ille hunc', et in se reciprocatur eadem, ut 'ille accusat se'. prima autem in aliam primam transire non potest nec secunda in aliam secundam, scilicet quia nec possunt esse diversae primae et secundae, sed vel in se reciprocantur, ut supra dictum est, vel transit prima in secundam vel tertiam et secunda in primam vel tertiam, ut 'video te' et 'video illum'; 'vides me' et 'vides illum'. tres igitur personae eandem quidem habent constructionem: reciprocam unam, ut 'prosum mihi, prodes tibi, prodest sibi', transitivam vero prima quidem et secunda ad binas personas, ut 'prosum tibi, prosum illi, prodes mihi, prodes illi', tertia vero ad tres, superat enim hac una, quod tertia in aliam tertiam transitive profertur, ut 'ille prodest mihi, prodest tibi, prodest isti'.

Possessiva tamen, quia duas continent personas, id est possessoris et possessionis, necessario tribus constructionibus ordinantur, cum eorum primitiva duas habeant, reciprocam vel sui passam, quam Graeci ἰδιοπαθῆ vocant, et transitivam: sui passam, ut 'video memet', transitivam, 'video te' vel 'illum'.

Possessiva vero modis construuntur tribus, cum verba vel a possessore in possessionem vel a possessione in possessorem vel extrinsecus transferantur: a

possessore in possessionem, ut ‘doceo meum filium, doces tuum discipulum, docet ille suum auditorem’; a possessione vero in possessorem, ut ‘paret mihi meus filius, paret tibi tuus cliens, paret illi suus servus’; extrinsecus, ut ‘doces tu’ vel ‘docet ille meum filium, doceo ego’ vel ‘ille tuum filium, doceo ego’ vel ‘tu suum illius filium’. sed melius hoc per retransitionem dicitur, ut ‘rogat ille, ut doceam suum <17.166> filium’. cum sit enim relativum, exigit, ut prius cognoscatur persona possessoris sui, ad quam referatur.

Et sciendum, quod omnia ista possessiva possessoris quidem personam secundum primitivum significant, possessio vero ipsa tertiae est personae, ut ‘meus, tuus, suus’, quomodo et nomina, quibus coniunguntur, ut ‘meus pater, tuus filius’, excepto vocativo, qui solus in primae personae possessivis invenitur, cum secundae copulatur personae, ut mi pater, o mea tu, o noster Chremes. omnia tamen possessiva in genetivos primitivorum etiam verbis sociata possunt resolvi, ut ‘amicum meum moneo’ pro ‘amicum mei’, et ‘Euandrium filium Turnus interfecit’ pro ‘Euandri filium’, et ‘Daunius filius ab Aenea victus est’ pro ‘Dauni filius’; hoc autem interest, quod voce possessivi genus et casus et numerus ipsius possessionis ostenditur. et substantiva quidem verba possessivis coniuncta ad possessores referuntur, ut ‘tuus sum filius, meus es pater, suus est illius servus’, in una autem eadem-que persona possessor simul et possessio intransitive intellegi non potest, nisi figurate dicat aliquis ‘meus ego sum et servus et dominus’ et similia. Persius:

Vindicta postquam meus a praetore recessi,
et Euripides:

ἐγὼ δ’ ἐμός εἰμι.

sin autem aliquibus ea verbis sociamus ad ipsarum possessionum actum vel passionem pertinentibus, necesse est, cum in prima et secunda esse intelleguntur, primitiva quoque eis pronomina adiungi, quomodo etiam in omnibus solet fieri nominibus, ut ‘tu meus filius legis, ego tuus pater doceo’ et ‘tu Virgili doces, ego Priscianus doceor’. in eis enim constructionibus verba, quae non substantiam significant, ad ipsas possessiones, non ad possessores pertinent, id est quando nominativis possessivorum adiunguntur verba. sin autem in una eadem-que persona verbum obliquo coniungatur pronominis casui, necesse est reciprocationem, id est sui passionem, fieri et eandem personam agere aliquid in se simul et a se <17.167> pati, ut ‘miseror mei, invideo mihi, incuso me’. et sciendum, quod Graeci quidem compositis utuntur pronomibus in sui passione, id est ἰδιοπαθεία, ut ἐμαυτὸν διδάσκω, σαυτὸν διδάσκεις, ἑαυτὸν διδάσκει. et hoc idem etiam in possessionem transitione facta a possessore faciunt, id est genetivo composito primitivi pronominis utuntur pro obliquo possessionis, ut τοῦ ἐμαυτοῦ οἴκου ἀντιποιοῦμαι, τὸν σαυτοῦ δοῦλον τύπτεις, τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν παιδεύει. pro his autem omnibus Latini simplicibus utuntur pronomibus Homerum sequentes, qui simplicibus ubique etiam pro compositis utitur pronomibus: ‘mei misereor’ et ‘mei filii misereor; mihi noceo’ et ‘mei filio noceo; me accuso’ et ‘mei filium accuso’. saepe tamen etiam in reciprocationibus solemus uti assummentibus syllabas pronomibus,

quibus discretionis quoque causa utimur, ut ‘mihimet invideo, tibimet ipsi nocet, sibimet ipsi prodest’.

Illud quoque notandum, quod possessiva pronomina primae et secundae personae sive possessoris sui sive extrinsecus personis bene copulantur tam agentia quam patientia sive in se ipsa reflectantur [id est reciprocentur], ut ‘meus filius’ vel ‘tuus diligit me, diligit te, diligit illum, diligit se; filium meum’ vel ‘tuum diligo ego, diligis tu, diligit ille’. tertiae vero personae possessivum sine voce altera significante possessorem suum non potest adiungi alii personae per se: si enim dicam ‘suus servus ministrat mihi’ vel ‘tibi’, soloecismum facio, quod in possessivo primae et secundae personae, sicut ostendimus, recte construitur, cum quacumque persona copuletur – nec mirum, cum primae et secundae possessiva finitas habeant possessorum personas, quippe in unicis vocibus primitivorum <17.168> constitutas et demonstrativas –, tertiae vero personae possessivum non solum ad omnes voces pronominum tertiae personae, verum etiam nominum potest referri, ut ‘suus istius, illius, ipsius, hominis’, sine quibus additis perfectum sensum non habet. idem fit et per obliquos: ‘ille’ vel ‘iste’ vel ‘homo suae opis indiget, suo filio parcat, suum morem sequitur’. nec mirum hoc fieri in tertiae personae possessivo, cum vim genetivi possideat sui primitivi, quod vel reciprocum [id est sui passum, ἰδιοπαθές] est, vel retransitivum, in quo necesse est prius personae tertiae significationem voce aliqua fieri, ad quam iste genetivus vel reliqui eius casus referantur, ut ‘ille sui miseretur, ille sibi donat, Virgilius se celebrat’. et pro composito Graeco ἑαυτοῦ, ut diximus, accipitur, quod apud Graecos quidem in tribus invenitur personis, et vel in se reflectit actum suum vel in possessionem suam, ut ‘ἑμαυτοῦ κήδομαι’, καὶ ‘τοῦ ἑμαυτοῦ δούλου κήδομαι, σαυτὸν τύπτεις’, καὶ ‘τὸν σαυτοῦ δούλον τύπτεις, ἑαυτῷ χαρίζεται’ καὶ ‘τῷ ἑαυτοῦ ἀκροατῇ χαρίζεται’. igitur apud Latinos supra dictorum compositorum pronominum nisi in tertia non habemus significationem persona, id est ‘sui, sibi, se, a se’, ideo-que etiam nominativo caret, quomodo supra dicta apud Graecos composita. et illi quidem, sive ἰδιοπάθεια sit, [id est reciprocatio vel sui passio], sive in possessiva transitio fiat, utuntur supra dictis compositis, ut ostendimus, nos vero primitivis quidem ‘sui, sibi, se, a se’ vel per reciprocationem, ut ‘sui potitur, sibi indulget’, vel per retransitionem utimur, ut ‘hortatur me ille ut sui potiar, rogat te ille ut sibi indulgeas’, possessivis vero, cum in ea possessorum fiat transitio, ut ‘sui servi miseretur’ et ‘suo servo prodest’ et ‘suum servum diligit’. nec aliter tamen potest supra dictum possessivum tertiae personae construi cum aliis extrinsecus personis nisi per retransitionem, <17.169> quomodo et primitivum eius, id est nisi prius a possessore eius proficiscatur in aliam verbum personam et sic ab illa rursus ad possessionem tertiae, sicut et ad se, ut ‘rogat me ille, ut suus servus ministret mihi’ vel ‘tibi; precatur, ut sui patris miserear; petit te, ut suo prosis filio; obsecrat Cicero Varronem, ut suum erudiat natum’. et notandum, quod, cum a tertia in tertiam fit retransitio personam, in dubium venit possessio, ad quam pertineat earum, ut ‘rogat iste illum, ne suo noceat filio’, ambiguum, cuius ‘suo filio’, istius an illius, id est rogantis an eius qui rogatur, quomodo et apud

Graecos παρακαλεῖ Πλάτωνα Ἀριστοτέλης, ἵνα τὸν ἑαυτοῦ φίλον παιδεύσῃ *dubium fit, utrum Platonis an Aristotelis suum.*

Omnium possessivorum tam nominum quam pronominum per quemcumque casum prolatorum loco licet genetivis uti primitivorum, ut ‘Euandri filius’ pro ‘Euandrius filius’ et ‘Euandri filii’ pro ‘Euandrii filii’ et ‘Euandri filio’ pro ‘Euandrio filio’ et ‘Euandri filium’ pro ‘Euandrium filium’ et ‘Euandri fili’ pro ‘Euandrie fili’ et ‘ab Euandri filio’ pro ‘ab Euandrio filio’. similiter per omnes casus tam singulares quam plurales licet tam pronomibus quam nominibus uti. itaque licet genetivos quorumcumque casualium cum possessivis per quemcumque casum prolatis coniungere, ut ‘mea causa labora et illorum, meum patrem honora et Catonis, tuo patri pare et fratris, tuum imperatorem et commilitonum sequere, o noster et fratris mei pater, sua ille confidit et patris virtute’. similiter figuratur constructio in omnibus possessivis. Terentius in Andria:

meo † studio atque hospitis.

est tamen aliqua differentia in possessivo tertiae personae, cuius nominativo tunc utimur, quando ad suum possessorem possessio transitionem facit et non ad alium, ut ‘indiget illius’ vel ‘Ciceronis suus filius’, ‘praestat illi’ <17.170> vel ‘Ciceroni suus filius, videt illum’ vel ‘Ciceronem suus filius, bene meretur de illo’ vel ‘de Cicerone suus filius’. similiter passiva, quae a possessore solo fiunt, nominativum possessionis exigunt: ‘amatur ab illo’ vel ‘Cicerone suus filius’. nec non tam nominativo quam aliis casibus possessivi licet uti, cum possessorem ostendimus extrinsecus facientem transitionem ad aliquam aliam personam pro sua possessione, ut ‘rogat me ille, ut suus legat apud me filius’ et ‘ut suus doceatur a me filius’ et ‘ut sui miserear filii’ et ‘ut suo donem filio’ et ‘ut suum sequar filium’ et ‘ut suo potiar filio’, cum in possessivis primae et secundae personae liceat etiam non possidentes construere sic.

Discretionis quoque causa vel abundantiae solet cum genetivo possessoris addi nominativus possessivi, ut ‘suus est Homeri mos’, intellegitur enim ‘non alterius’, et ‘suus Ciceronis filius heres est patris constitutus’, ‘suus’ dicitur ad discretionem illius, qui secundum leges suus non est, id est sub potestate patris legitimi non est. quod autem ‘suus’ pro uniuscuiusque proprio accipitur, usus confirmat. Virgilius georgicon I:

molles sua tura Sabaei.

Terentius in Phormione:

Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos.

sin autem in possessionem fit a possessore transitio, obliquis possessivi utimur, ut ‘Cicero miseretur sui filii, praebet suo filio, aspicit suum filium, potitur suo filio’, sin extrinsecus fit transitus in possessionem tertiae personae, sufficit genetivo uti ipsius possessoris: ‘miseret filii Ciceronis, dono filio Ciceronis, accuso filium Ciceronis, potior filio Ciceronis’. licet tamen addere etiam possessivi casus consequentes vel discretionis causa vel abundantiae, ut ‘egeo ingenii sui Ciceronis, bene dico ingenio suo Ciceronis’ et similia.

Illud quoque sciendum, quod, cum in aliis omnibus possessivis liceat genetivo primitivi pro omni eorum uti casu, quod ostendimus, in hoc quoque

possessivo pronomine tertiae personae, quomodo in aliis tunc utimur, <17.171> cum ipse possessor aliquid agat in possessionem suam et cum in aliam personam transitum ostendatur facere pro sua possessione, ut ‘amat ille suum filium’ et ‘amat sui filium; bene dicit suo filio’ et ‘bene dicit sui filio; petit a me, ut prosim suo filio’ et ‘ut prosim sui filio’. si ipsa tamen possessio in possessorem faciat transitionem, non est congruum uti primitivi genetivo pro possessivo, quia vim habet compositi Graeci, ut ‘Ciceroni reddit suus filius’ non satis commode pro hoc dicitur ‘Ciceroni reddit sui filius’, nec ‘Ciceronem laudat sui filius’ pro ‘suus filius’, et similia, quia nec apud Graecos bene dicitur Κικέρωνα φιλεῖ ὁ ἑαυτοῦ υἱός, nisi more Attico pro simplici accipiatur.

Et sciendum, quod, quia primitivum eius tam singulare quam plurale est, licet in possessivo et unum et plures possessores eius intellegere pro significatione genetivi ad possessorem pertinentis, et ‘suus illius’ et ‘suus illorum’. nec mirum, si per retransitionem Romani utuntur his pronomibus, id est ‘sui, sibi, se, a se’, et eius possessivo, ut ostendimus, nec non si ad coniunctionem sui etiam in alias personas aliquid agat, ut ‘ille vocat me ad se, ducit te secum, trahit omnia in se’, vel cum transitum faciat in aliquos sibi coniunctos, ut ‘ille miseretur eorum, qui secum vivunt’ vel ‘sibi parentium, secum degentium; dat sibi faventibus, incusat secum certantes, invidet se indigentibus’. et videntur haec omnia possessivorum vim habere et similia, nec incongrue huiusmodi constructionem habuisse, cum Attici quoque soleant compositis in huiusmodi uti constructionibus. Xenophon ἀπομνημονευμάτων primo: ἀλλὰ Σωκράτης γ’, ἔφη ὁ κατήγορος, τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκεν, πείθων μὲν τοὺς συνόντας ἑαυτῷ σοφώτερος ποιεῖν τῶν πατέρων. idem in eodem: <17.172> ἀλλὰ Σωκράτης γ’, ἔφη ὁ κατήγορος, οὐ μόνον τοὺς πατέρας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους συγγενεῖς ἐποίει ἐν ἀτιμίᾳ εἶναι παρὰ τοῖς ἑαυτῷ συνοῦσιν. Demosthenes: καὶ ἀφεικότα τοῦτον ἑμαυτὸν pro ἐμέ. Xenophon ἀπομνημονευμάτων secundo: Χαιρεφῶντα δέ ποτε καὶ Χαιρεκράτην, ἀδελφῶ μὲν ὄντε ἀλλήλων, ἑαυτῷ δὲ γνωρίμῳ, αἰσθόμενος διαφορομένῳ.

Quod autem genetivo vel dativo, qui loco sit genetivi possessoris, bene additur etiam possessivum, ut supra diximus, non solum nostrorum, sed etiam Atticorum usus approbat. Virgilius in bucolico:

Et me Phoebus amat, Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

Terentius in adelphis:

Suo sibi † hunc gladio iugulo.

Πλάτων Τιμαίῳ: μήτε ἄρα ἀργύριον μήτε χρυσίον μήτε ἄλλο ποτὲ κτῆμα αὐτῶν ἴδιον νομίζων. et, quod mirum est, hoc ipsum [id est τὸ ἴδιον] etiam primae et secundae adiungitur personae apud illos, ut Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην: οὐκ ἂν τὰ ἴδια τὰ ἑμαυτοῦ. Demosthenes ἐν τῷ πρὸς Πολυκλέα: οὐ περὶ τῶν ἐμῶν ἰδίων μᾶλλον τιμωρήσεσθε Πολυκλέα ἢ <17.173> οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν. καὶ ἐν τῷ αὐτῷ: οὐ περὶ πλείονος ἐποησάμην τὰ ἑμαυτοῦ ἴδια ἢ τὰ ὑμέτερα. ἐν δὲ τῷ πρὸς Καλλικλέα

περὶ χωρίου βλάβης· τὸ μὲν γὰρ χωρίον ὁμολογεῖται καὶ παρ' αὐτῶν
τούτων ἡμέτερον ἴδιον εἶναι. Phroenichus Ποαστρίαίς:

ὥσπερ ἐμὸν αὐτῆς ἴδιον,

pro quo nos dicimus 'meum proprium' et 'tuum proprium'. dicitur tamen etiam
'suum proprium illius', ut non putetur abundare 'suum', sed indubitabilem
discretionem significare.

Illud quoque notandum, quod tertiae personae possessivum ad innumerabiles,
ut diximus, refertur personas possessorum, quippe cum ad omnia tertiae
personae pronomina et ad omnia nomina et participia potest referri, ut 'suus
illius, suus istius, ipsius, huius, eius; suus Virgilii versus; sua discentis
diligentia', primae autem personae possessivum et secundae non egent per se
prolata adiunctione alicuius genetivi, cum vim genetivi finiti in se habeant,
quomodo nec 'suus' eget genetivo sui primitivi, quem in se possidet, sed
extrinsecus alterius vocis propter multitudinem tertiarum personarum, ad quas
necessario et primitivum 'sui' et ipsum possessivum refertur, utraque enim
relativa sunt. nam 'meus' et 'tuus', nisi ad suorum primitivorum, quae sunt
demonstrativa, non intelleguntur genetivos, itaque extrinsecus genetivis non
egent.

Quaeritur, quae sit differentia inter genetivum primitivi et possessivi 'mei,
tui, sui, nostri, vestri'. et quantum quidem ad vocem nulla, quantum vero ad
sensum haec est differentia, quod genetivus primitivi simplicem possessionem
significat, possessivi vero duplicem. si enim dicam 'mei est servus' pro 'meus
est servus', simplicem demonstro possessionem; sin autem 'mei est filii servus',
duplex ostenditur possessio, mea quidem in filio, filii autem in servo.
(frequenter tamen etiam sine nomine licet huiuscemodi <17.174> possessiva
proferre, et maxime cum de dominis vel coniugibus vel amicis mentio fit, ut
Terentius in Andria:

cuius hic puerum apposuisti? –

Vestri. – Cuius nostri?

intellegitur enim 'domini' vel 'erilis filii'; idem in eadem:

cur meam tibi?

subauditur 'coniugem' vel 'sponsam'; idem in eunucho:

o mea tu,

subaudiendum 'amica' vel 'soror'. et omnibus maritis mos est de uxoribus suis
dicere 'mea' et invicem uxoribus de suis maritis dicere 'meus' per defectionem
nominis.) et primitivorum quidem genetivus per se profertur non egens alterius
genetivi, ut 'mei filius ambulat, tui filium video; mei misereris, tui miseretur';
nam et ad omnem numerum et genus et casum bene construitur primitivi
genetivus, possessivi vero genetivus eget semper alterius genetivi eiusdem
numeri et generis, ut 'mei filii miserere, tui filii misereor, sui filii miseretur ille',
nisi per ellipsin, quomodo praediximus, proferatur. et non solum genetivo
primitivi pro omni casu possessivi licet uti, ut 'mei ager' pro 'meus ager' et 'mei
agrum' pro 'meum agrum' et 'nostrum' vel 'nostri filius' vel 'filium' pro 'noster
filius' vel 'nostrum filium' et similia, ut ostendimus, sed etiam ipsorum
possessivorum genetivus cum omni casu secundae possessionis, id est quae

possessione possidetur, ponitur, ut si uxor loquens de agro mariti sui vel de alia re dicat ‘iste ager mei est’, τοῦ ἐμοῦ, ‘semine mei praegnans sum, prolem mei diligo, thalamis mei caste pareo’. nec aliter potest duplex possessio construi sine genetivo possessivi. apud Graecos tamen etiam articulus huic coniunctus discernit ambiguitatem: ὁ τοῦ ἐμοῦ ἀγρός, ἢ τῆς ἐμῆς σωφροσύνη. quo deficiente saepe Latini auctores faciunt quaestiones, ut Lucanus in III:

<17.175> ac reppulit aestus

Fortior oceani,

τῶν τοῦ ὠκεανοῦ. idem in I:

Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae,

τοῦ τῆς Ἀρτέμιδος. similiter dicitur ‘minor viginti annorum’ ἦπτων τοῦ τῶν εἴκοσι ἐτῶν. nec mirum tantam vim in possessionibus habere genetivos, cum in compositis quoque immobilis maneat idem casus, ne, si declinetur, significatio quoque eius evanescat, ut ‘tribunus plebis, plebiscitum, senatusconsultum’. et si a duobus sit genetivis, uterque manet immobiles, ut ‘huiusmodi, istiusmodi, illiusmodi’, quae tam composita quam separata omnibus adiunguntur casibus.

‘Sui’, quando est primitivum, nominativum, ut diximus, non habet, quia necesse est ad aliquem alium nominativum tertiae referri personae hoc pronomen et quia transitivorum servat constructionem. nam vel in se reciprocatur, id est ipse in se aliquid agere ostenditur, [aut ipse pati a se], in quo necesse est obliquum aliquem poni casum, ut ‘miseretur sui, dicat sibi, accusat se, potitur se’, vel per retransitionem aliquam, ut praedictum est, construitur, id est quando ab ipsa in aliam fit transitio personam et ab illa in eam retransitio, quae similiter obliquum exigit, ut ‘rogat me servus, ut miserear sui; petit me amicus, ut sibi prosim; commovet me inimicus, ut se accusem; hortatur me virtus, ut se potiar’.

Et sciendum, quod, quomodo composita pronomina apud Graecos nominativo carentia omnimodo in actu sunt et hic actus vel ad easdem personas reciprocatur [id est reflectitur] vel ad possessiones earum, itaque necessario verbis copulantur, in quibus nominativus earum intelligitur, ut ‘ἐμαυτοῦ κήδομαι’ καὶ ‘ἐμαυτοῦ δοῦλον τύπτω’; ‘σαυτοῦ κήδη’ καὶ ‘σαυτοῦ <17.176> δοῦλον τύπτεις’; ‘ἐαυτοῦ κήδεται’ καὶ ‘ἐαυτοῦ δοῦλον τύπτει’: sic apud nos in hoc pronomine necesse est fieri, ut ‘sui miseretur’ vel ‘sui filii miseretur’ aut, cum prius a tertia verbum proferatur persona transitive et iterum per retransitionem ab illa ad eandem actus aliquis referatur, ut supra ostendimus: ‘rogat me ille, ut ad se veniam; petit te ille, ut sui miserearis; rogat Turnus Aeneam, ut sibi parcat’; necesse est enim obliquos casus ad nominativos referri interpositis verbis actum quidem ad nominativos, passionem vero ad obliquos reddentibus, ut ‘Caesar vicit Pompeium, ego te diligo’. passio vero facta per obliquos activo coniunctos verbo transfertur in nominativum pertinentem ad ipsam, quae patitur, personam passivo coniunctum verbo, praedictum vero nominativum, quia ad agentem pertinet, transfert in ablativum, ut ‘Caesar vincit Pompeium, vincitur Pompeius a Caesare; ego te diligo, tu diligeris a me’.

Et Graeci quidem composita invenerunt pronomina, [id est ἐμαυτοῦ, σαυτοῦ, ἐαυτοῦ], quibus utuntur, quando eadem persona in sese vel in suam, ut

dictum est, possessionem facit aliquid, quae ἰδιοπαθῆ vel ἀντανάκλαστα vocant, id est ‘sui passa’ vel ‘a se patientia’ sive ‘refractiva’ translative a corporibus, quae in se refringuntur; simplicia vero ἀλλοπαθῆ nominant, id est ‘extrinsecus passionem facientia’ vel ‘patientia’, ut ‘doceo te, doceor a te’. nos autem, quomodo superius memoravimus, simplicibus quidem pro utrisque utimur tam in prima quam in secunda persona secundum Homericam, ut supra dictum est, consuetudinem; in tertia vero persona, id est ‘sui sibi se a se’ quod illi servant in compositis servamus, quamvis hoc quoque sit simplex. itaque et nominativo caret, quomodo ἑαυτοῦ, et omni verbo copulatur, quod ei vicem compleat nominativi, ut ‘sui eget, sibi nocet, se incusat’. et in huiusmodi <17.177> quidem constructione, id est quando ipsa in se vel in possessionem suam agit, pro composito Graeco pronomine, id est ἑαυτοῦ, ἑαυτῶ, ἑαυτόν, accipitur, ut ‘sui eget’, ἑαυτοῦ χρήζει, ‘sibi indulget’, ἑαυτῶ χαρίζεται, ‘sui servum vendit’, τὸν ἑαυτοῦ δοῦλον πωλεῖ; quando vero etiam extrinsecus actus in eum aliquis fieri significatur pro simplici Graeco, id est αὐτοῦ, αὐτῶ, αὐτόν, accipitur. nec aliter tamen hoc fit, nisi prius a tertia persona verbum aliquod, ut diximus, proficiscatur ad aliam extrinsecus personam et sic ab illa per retransitionem ad eam reciprocetur aliud verbum, ut ‘rogat me ille, ut ad se veniam; petit te, ut sibi des; hortatur milites imperator, ut se largo potiantur’.

Illa quoque, quae tertiae personae acquisitionem aliquam significant, quamvis nec sui passionem nec retransitionem habeant, supra dicti pronominis casibus frequenter construuntur, ut ‘auget ille substantiam sui, defendit Brutus sibi libertatem, videt ille similem sui’ vel ‘sibi hominem, ducit secum Aeneas Achaten’. quamvis, si quis haec quoque altius inspiciat, sui passionis et possessionis vim aliquam ostendere ea etiam inveniet; itaque apud Graecos quoque cum compositis pronominebus proferuntur: ἄγει μεθ’ ἑαυτοῦ τὸν φίλον.

Praeterea sciendum, quod illud quoque, quod apud Graecos dicitur per solos obliquos compositum casus, ἀλλήλων κήδονται, ἀλλήλοις παρέχουσιν, ἀλλήλους φιλοῦσιν, necessario invicem actum et passionem alterius in alteram personam uno eodem-que casu significat nec potest nominativo proferri, sed habet eius intellectum in ipso verbo. nostri vero frequenter pro accusativo huiusmodi constructionis accusativis utuntur, antecedente ‘inter’, omnium personarum pluralibus, ut Terentius in adelphis:

† Video amare inter se,

<17.178> id est φιλεῖν ἀλλήλους; idem in eadem:

Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho,
pro οὐ γινώσκομεν ἀλλήλους; Virgilius in XI:

Conversi-que oculos inter se atque ora tenebant,

‘inter se’, πρὸς ἀλλήλους. saepe tamen explanandi causa adicitur ‘invicem’. nec solum hoc in tertia, sed etiam in prima, ut ostendimus, fit et secunda persona plurali, quippe quae possunt diversas in se colligere personas. ad imitationem supra dicti Graeci pronominis, quod caret nominativo, simili utimur constructione, ut ‘ego et tu nosmet ipsos invicem amamus inter nos, tu et ille invicem amatis inter vos’. aliis autem casibus sine ‘inter’, quod accusativum

exigit, utimur addentes ‘invicem’, ut ‘ego et tu nostri invicem miseremur’, ἀλλήλους ἐλεοῦμεν; ‘tu et ille invicem vobis indulgetis’, ἀλλήλους χαρίζεσθε; ‘iste et ille invicem se potiuntur’, ἀλλήλων ἀπολαύουσιν. quod si non addatur ‘invicem’, dubitatio fit, utrum per sui passionem singulae in se agant, an altera in alteram, si dicam ‘iste et ille se amant’; dubium enim fit, utrum ‘ἑαυτούς’ ἢ ‘ἀλλήλους’ significet. et in prima quidem persona licet per conceptionem secundam assumere et tertiam, ut ‘ego et tu legimus’, ‘ego et ille scribimus’; a secunda vero prima concipi non potest, tertia vero potest, ut ‘tu et ille vosmet ipsos laeditis’.

Quaeritur cur ‘nostras’ et ‘vestras’, id est ἡμεδαπός et ὑμεδαπός, a <17.179> solis pluralibus tam apud nos quam apud Graecos ἡμεδαπός et ὑμεδαπός derivantur? ad quod dicendum, quod ideo a solis pluralibus fiunt, quia patria ad plures pertinet, non ad unum. et sciendum, quod, quomodo pronomina, quae finita sunt, habent et patria et possessiva, ut ‘meus, tuus; noster, vester; nostras, vestras’, sic etiam nomen infinitum ‘quis’ vel ‘qui’ habet apud nos non solum patrium ‘cuias’, quomodo apud Graecos ποδαπός, sed etiam possessivum, quod tam interrogativum esse potest quam relativum, ut ‘cuius cuia cuium’; sed masculinum in fine acuitur differentiae causa. quod autem tam relativa quam interrogativa possunt esse, quomodo et primitiva, eorum usus comprobatur. Virgilius in bucolico interrogative protulit:

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus, an Meliboei?

Terentius in eunucho:

Quid virgo, cuia est?

idem in Andria:

Quid eam . ? suam-ne esse † dicebat? – Non! – Cuiam igitur?

Cicero vero in Verrinis de praetura urbana relative posuit haec eadem: cuia res est, cuium periculum. et necesse est omnibus ea gravari syllabis, quando sunt relativa, quomodo et primitiva eorum relationem significantia.

Pronomina quasdam habent proprias observationes singula, quasdam communes, tam cum aliis pronomibus quam cum quibusdam partibus orationis. cum de propriis igitur maxime singulorum superius dictum est, nunc de communibus dicamus. ‘ipse’ additivum vel appositivum dicitur, quod Apollonius ἐπιταγματικόν nominat, non quod solum hoc pronomen aliis pronomibus vel etiam nominibus apponitur, sed quod frequentius quam alia, ut ‘ego ipse, tu ipse, ille ipse, Virgilius ipse, Cicero <17.180> ipse’. inveniuntur enim et alia pronomina appositiva [id est ἐπιταγματικά]: Virgilius:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena.

idem in bucolico:

Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas.

idem [in I]:

Tu-ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae

Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?

per excellentiam igitur hoc pronomen, id est ‘ipse’, quasi proprium, quod commune est multorum, appositionis nomen possidet.

Et sciendum, quod tertiae omnes personae pronominum possunt per supra dictam figuram apponi primae et secundae personae excepto ‘sui, sibi, se, a se’, prima autem vel secunda persona nec invicem sibi nec tertiae apponi possunt. nemo enim dicit ‘ego tu es’ vel ‘tu ego sum’ nec ‘ego ille facit’ vel ‘tu ille facit’; ‘ille’ autem ‘ego facio’ et ‘tu ille facis’ dicitur. nam id est appositivum, quod apponitur illi, ad quod verbum redditur. Graeci quoque primitivam tertiam personam et ex ea compositam, id est ἑαυτοῦ, ἑαυτῶ, ἑαυτόν, primae et secundae personae non apponunt, quomodo nec nos ‘sui’, quod vim tam simplicis primitivi tertiae personae Graecae quam compositi possidet apud nos. pluralem tamen compositam tertiam, quia non habent composita a pluralibus primae et secundae personae, necessario adiungunt et primae et secundae, ut ἑαυτῶν κηδόμεθα pro ἡμῶν αὐτῶν et ἑαυτῶν κήδεσθε pro ὑμῶν αὐτῶν; nos autem nec in plurali numero possumus apponere primae vel secundae personae supra dictum tertiae personae pronomen, [id est ‘sui, sibi, se a se’], quia et singularis est vox, quae nec apud Graecos apponitur <17.181> primae vel secundae personae nec apud nos, quamvis etiam pro plurali accipiatur. et quomodo simplex singulare accipimus etiam pro composito per omnes personas, sic etiam simplex plurale, ut ‘mei causa facio’, ἑμαυτοῦ χάριν ποιῶ, et ‘nostri causa facimus’, ἡμῶν – ἀντὶ τοῦ ἑαυτῶν – χάριν ποιοῦμεν.

Nec mirum diversas aliquando personas figurate inter se copulari, cum etiam diversos casus est ubi bene coniungimus, ut in illis, quae ex generalibus in specialia vel ex pluralibus in singularia distribuuntur, ut ‘animalium quaedam sunt mortalia, quaedam immortalia; literarum aliae sunt vocales, aliae consonantes; trium Saturni filiorum unus in caelo, alter in mari, tertius apud inferos dicitur regnare’; non enim bene dicitur ‘animalia pars est mortalis, pars immortalis’ nec ‘tres Saturni filii, unus in caelo, alter in mari, tertius apud inferos regnat’, quamvis Homerus auctoritate poetica dixit:

Οἱ δὲ δύο σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἰκάνει,
 quomodo et alii quidam tam apud nos quam apud Graecos. cum autem non sit distributio, bene utimur nominativis, ut ‘literae sunt notae vocum’, vel cum verbum ad illud, quod distribuitur, non ad ea, quae distribuuntur, redditur, ut ‘homines oportuni sunt, alii quidem ad pacem, alii vero ad bellum’. et hoc quidem quia in plurale distribuitur, a communi verbum habet. sin variaveris numerum, quod praediximus manifestatur, ut Virgilius in bucolico:

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
 Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.

potest tamen et singulare pluralem significationem habens vel in singularia vel in pluralia supra dicto modo distribui et eandem constructionis servare rationem, ut ‘gentis Romanae pars fuit fortis, pars sapiens’ vel ‘gentis Romanae alii fuerunt fortes, alii sapientes’ vel ‘gens Romana fuit, alii fortes, alii <17.182> sapientes’. Livius XXXXI ab urbe condita: periti religionum iuris-que publici, quando duo ordinarii consules eius anni, alter morbo, alter ferro periisset, suffectum consulem negabant comitia habere posse. ecce hic Homeri auctoritatem secutus nominativum praeposuit pro genetivo: duo ordinarii

consules pro ‘duorum ordinariorum consulum’, ad distributa enim reddidit verbum, non ad coniuncta.

Ex diversis quoque casibus solent derivativa simul et composita fieri, ut a medio terrae ‘mediterraneus’ et a medio amnis ‘Mediamna’, a causis et dicendo ‘causidicus’, a vana loquendo ‘vaniloquus’ et similia, quae ex simplicibus derivata simul et composita sunt. in huiusmodi tamen derivationibus frequenter invenis transitionem etiam ex alteris in altera fieri genera, ut ‘haec manus: centimanus’. Horatius:

centimanus † gigas.

‘hic sanguis: hic’ et ‘haec exanguis’ et ‘hoc exangue; hoc caput: hic’ et ‘haec’ et ‘hoc triceps; hoc cor: hic’ et ‘haec’ et ‘hoc vecors; haec mens: hic’ et ‘haec’ et ‘hoc amens, demens; haec arma: hic’ et ‘haec inermis’ et ‘hoc inerme’ et ‘inermus, inerma, inermum’. plurima similiter composita ex diversis generibus vel casibus vel numeris in alia per derivationem transeuntia invenis. nihil igitur mirum tertias quoque personas pronominum tam primae quam secundae figurate adiungi, quomodo superius ostendimus.

Partium orationis quaedam habent inter generaliter sibi accidentia numeros et casus et genera, ut nomen, pronomen, participium; quaedam personas et numerum, ut verbum et pronomen; quaedam tempora, ut verbum et participium; quaedam nihil ex his, ut praepositio, adverbium, coniunctio, interiectio, quae nec declinationem aliquam habent. quae sunt igitur declinabiles, cum ex propriis figurationibus ad convenientes <17.183> supra dictorum numerorum vel generum vel casuum vel personarum vel temporum consequentias accipiuntur, orationis constructione, id est dispositione, ad aptam coniunctionem ferri debent, ut puta singulare ad singularem et plurale ad pluralem, cum ad unam eandem-que refertur personam intransitive, ut ‘ego Priscianus scribo intellegens’ et ‘nos oratores scribimus intellegentes’.

Cum enim transitiva sunt vel refractiva, licet diversis uti numeris, ut ‘docemus discipulum’ et ‘docemus discipulos’; ‘doceo discipulum’ et ‘doceo discipulos’; et ‘accuso vos’ et ‘prosum nobis’. eadem est ratio et in generibus, ut ‘bonus homo et iustus et rectus est ille, bona mulier et casta et pudica est illa, boni homines et iusti et recti sunt illi, bonae mulieres et castae et pudicae sunt illae’.

Similiter et in casibus ‘mei ipsius dolentis misereor’ et ‘illius vel tui dolentis misereor’; ‘te ipsum legentem video’ et ‘me ipsum intellegentem sentio’. cum igitur ad unam eandem-que personam et casus et genera et numeri referuntur, supra dicta consequentia est observanda.

Variantur autem, ut dictum est, per transitiones et reciprocationes non solum casus et numeri, sed etiam genera, ut ‘illos laedit mulier’ et ‘illum laedunt mulieres’. supervacuum est in re tam manifesta usus auctorum testimonia proferre; illud tamen sciendum, quod per figuram, quam Graeci ἀλλοιότητα vocant, id est variationem, et per πρόληψιν vel σύλληψιν, id est praeeptionem sive conceptionem, et per ζεύγμα, id est adiunctionem et coincidentiam, quam συνέμπτωσιν Graeci vocant, <17.184> vel procidentiam, id est ἀντίπτωσιν, et numeri diversi et diversa genera et diversi casus et tempora et personae non

solum transitive et per reciprocationem, sed etiam intransitive copulantur, quae diversis auctorum exemplis tam nostrorum quam Graecorum necessarium esse duximus comprobare.

Construuntur igitur diversi numeri, ut Virgilius in I Aeneidos:

Pars in frustra secant veribus-que trementia figunt;
ad sensum enim, quia pars Troianorum plures in hoc loco intelleguntur, plurale reddidit verbum secant, quomodo et Homerus:

Ὡς φάσαν ἡ πληθὺς.

Sallustius in Catilinario: interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant. cuius enim singulare ad rem retulit, id est 'cuius rei servitorum'. Thucydides: συνεπρεσβεύοντο αὐτοῖς καὶ Δωριῆς, ἡ μητρόπολις τῶν Λακεδαιμονίων. Terentius in eunucho:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis et minime multos laedere,
In his poeta hic nomen profitetur suum,
siquis enim ad multos intellegitur, quomodo idem:

aperite aliquis actutum.

<17.185> Σοφοκλῆς ἐν Ἀντιγόνη:

Ὅστις γὰρ αὐτῶν εὖ φρονεῖν μόνος δοκῆ,
Ἥ γλώτταν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἣ ψυχὴν ἔχειν,
Οὔτοι διαπτυχθέντες ὠφθησαν κενοί.

Diversa genera similiter construuntur, ut Virgilius in bucolico:

Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas;
ad dulce enim, quod est neutrum, tam feminina quam masculina reddidit. idem in eodem:

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

idem in I Aeneidos:

Nimborum in patriam, loca feta furentibus Austris,
Aeoliam venit.

idem in II georgicon:

Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina.

idem in I Aeneidos:

Cymothoe simul et Triton adnexus acuto
Detrudunt naves scopulo.

Lucanus in I:

hinc leges et plebiscita coactae.

Virgilius in VIII:

Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi;

cum enim Praeneste, nomen oppidi proprium, neutrum sit, ad intellectum
<17.186> urbis reddidit sub ipsa, quomodo Terentius in prologo eunuchi:

in eunuchum suam

dixit, ad comoediam referens pronomen. Virgilius in XII:

Dictamnium
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit, hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit occulte medicans.

Vide, quomodo et diversa genera et diversos numeros in supra posita figura ἀλλοιότητος, id est variationis, confudit.

Graecorum quoque auctores frequenter huiusmodi utuntur figurationibus.
Homerus:

Πᾶσιν ὀρίνθη θυμός, ἐκίνηθεν δὲ φάλαγγες,
Ἐλπόμενοι παρὰ ναῦφι ποδώκεα Πηλείωνα.

Thucydides: αἱ μὲν τινες τῶν νεῶν καθεῖσαι τὰς κώπας ἀπέστησαν τοῦ πλοῦ, ἀξύμφορον δρῶντες πρὸς τὴν ἐξ ὀλίγου ἀντεξόρμησιν, βουλόμενοι τὰς πλείους περιμεῖναι. Demosthenes Φιλιππικῶν primo: καὶ ὅλως ἄπιστον, οἶμαι, ταῖς πολιτείαις ἢ τυραννίς. idem ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου: πονηρὸν <17.187> ὁ συκοφάντης καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον. Thucydides I idem in III: τὴν δὲ ὑπὸ πάντων ὁμολογουμένην ἄριστον εἶναι εἰρήνην. Πλάτων συμποσίῳ: ἐπειδὴ οὖν ἡ φύσις δίχα ἐτμήθη, ποθοῦν ἕκαστον τὸ ἥμισύ τε ξυνήει, καὶ περιβάλλοντες τὰς χεῖρας καὶ συμπλεκόμενοι ἀλλήλοις ἐπιθυμοῦντες ξυμφῦναι. Αἰσχίνης ἐν τῷ Ἀλκιβιάδῃ ὑπὲρ Θεμιστοκλέους: αὐταὶ μέγιστα ἐλπίδες ἦσαν Ἀθηναίοις περὶ τῆς σωτηρίας ἄσσα ἂν ἐκεῖνος περὶ αὐτῶν βουλεύσαιτο. Homerus:

Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο,
Χρῦσεον σκῆπτρον ἔχων.

Diversi quoque casus vel casus pro casibus figurate tam a nostris quam a Graecis saepissime ponuntur, ut Virgilius in I:

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu scepra Iovem-que
Concilias,

hoc regni pro 'hoc regnum'. idem in I:

Urbe[m] quam statuo vestra est, subducite naves,
pro 'urbs quam statuo'. Terentius in Andria:

di † immortales!

Quid turbae est apud forum? quid illi hominum litigat?
pro 'quot homines'. idem in eadem:

Ex Andro conmigrauit huic vicinia[e],
<17.188> pro 'in hanc viciniam'. in eadem:

Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.

idem in Phormione:

cum eius adventi [mihi] venit in mentem?

genetivum posuit pro nominativo. Cicero Verrinarum I: nam ita mihi deos velim propitios, ut, cum illius mihi temporis veniat in mentem, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco, illius temporis pro 'illud

tempus'. idem in II Verrinarum: fac tibi Aciliae legis veniat in mentem, pro 'Acilia lex'. Virgilius georgicon III:

Et crurum tenuis a mento palearia pendent,
pro 'cruribus tenuis'. idem in VIII Aeneidis:

volat hasta Tago per tempus utrumque,
pro 'in Tagum'. Sallustius in Catilinario: praeter rerum capitalium condemnatis, pro 'condemnatos'. idem historiarum I: nam a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum, pro 'Persis'. Virgilius in I Aeneidis:

Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,
pro 'Achillis'. Horatius in III carminum:

Hic dies anno redeunte festus
<17.189> Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphorae,

pro 'amphora'. Terentius in Andria:

quid mei faciam,
'quid me fiat'. idem in eunucho:

Quid illo faciemus, stulta?

pro 'illi'. similiter Cicero in Verrem de praetura urbana: quid illo myoparone factum est? Virgilius in I Aeneidis:

Parce metu, Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi,

pro 'metui'. idem in I georgicon:

Libra die somni-que pares ubi fecerit horas,

pro 'diei'. Horatius in III carminum:

Hic dies vere mihi festus atrox
Exigit curas,

mihi pro 'a me'. Demosthenes ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος: ὁ δῆμος . . . ἐν αὐτοῖς τοῖς φοβεροῖς καὶ δεινοῖς ἐμβεβηκῶς, pro εἰς αὐτὰ τὰ φοβερὰ καὶ δεινὰ. Homerus:

Πᾶν δ' ἡμᾶρ φερόμεν, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
Κάππεσον ἐν Λήμνῳ.

idem:

Κάππεσεν ἐν κονίῃ.

Ξενοφῶν ἀπομνημονευμάτων α': λέγεται γὰρ Ἀλκιβιάδην, πρὶν <17.190> εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι, Περικλεῖ ἐπιτρόπῳ μὲν ὄντι ἑαυτοῦ, προστάτῃ δὲ τῆς πόλεως, τοιαῦτα διαλεχθῆναι περὶ νόμων, 'λέγεται Ἀλκιβιάδην' ἀντὶ τοῦ "Αλκιβιάδης". et nostri hac figura saepe sunt usi, ut Terentius in eunucho:

Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miseri-que.

Homerus:

Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι ὃ με πρότερος κάκ' ἔοργε.

huic simile Terentius in Andria:

Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum.

Diversa tempora, ut:

Postquam res Asiae Priami-que evertere gentem
Inmeritam visum superis cecidit-que superbum
Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,
Diversa exilia et desertas quaerere terras
Auguriis agimur divum classem-que sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae.

cecidit praeteriti, fumat autem et agimur et molimur praesentis. idem Virgilius in III Aeneidis:

At regina gravi iandudum saucia cura
Vulnus alit venis et caeco carpitur igni,

<17.191> pro 'alebat' et 'carpebatur'. et sciendum, quod tam poetae quam prosarum scriptores frequenter praesentibus utuntur tam pro praeteritis quam pro futuris, contra autem raro, ut Terentius in Andria:

sed si quid . narrare ocepi, continuo dari

Tibi verba censes,

ocepi pro 'occipio' vel 'occipiam'. idem in eunucho:

Quae vera audivi, taceo et contineo optime,

audivi pro 'audio' vel 'audiam'. idem in Phormione:

cur non, inquam, Phormio,

Vides inter vos?

inquam pro 'inquo' dixit, quod in raro est usu. sic enim solent plerique ponere 'inquam', quod est futuri, loco praeteriti vel praesentis accipientes.

Diversae personae, ut Virgilius in II Aeneidis:

divellimur inde

Iphitus et Pelias mecum.

Terentius in Andria:

Tu si hic † esses, aliter sentias.

et nota, quod sese ostendens hic dixit, in qua demonstratione intellegitur etiam 'ego'. Livius in XXXVII ab urbe condita: certare pio certamine cuiuslibet bonae artis et virtutis ausi sumus cum parentibus quaeque civitas suis. Virgilius:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena

Carmen.

idem in II Aeneidis:

quae-que ipse miserrima vidi

Et quorum pars magna fui.

idem in bucolico:

Nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas.

<17.192> idem georgicon III:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat

Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Terentius in Phormione:

nam ego meorum solus sum meus.

Persius:

postquam meus a praetore recessi.

Nec solum per genera et personas et numeros et casus et tempora, quae maxime declinabilibus accidunt, de quibus supra ostendimus, solent auctores variare figuras, sed etiam per omnia unicuique partium orationis accidentia, ut puta nomini accidunt species, genus, numerus, figura, casus. per eos igitur quinque modos inveniuntur variationibus, id est ἀλλοιότησιν, usi auctores.

Per species, ut Ennius:

Optima caelicolum, Saturnia, magna dearum,
magna dixit pro ‘maxima’, positivum pro superlativo, cum apertissime superius optima caelicolum dixisset. et Virgilius Aeneidis I:

Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentes,
tristior pro ‘subtristis’. Homerus:

τόνδ’ ἔκτανε Δάρδανος ἀνὴρ,
‘Dardanus’ pro ‘Dardanius’, primitivum pro derivativo, unde Virgilius quoque in III Aeneidis:

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus,

et in II:

ipse deos in Dardana suscitatur arma,
pro ‘Dardania’; simile huic est ‘Romulus populus’ et ‘Romula gens’ pro ‘Romuleus’ et ‘Romulea’.

<17.193> De generum et numerorum et casuum variationibus in supra dictis ostendimus. figurae quoque aliae pro aliis solent ab auctoribus poni, ut Virgilius in I Aeneidis:

totum-que a sedibus imis

Vna Eurus-que Notus-que ruunt,
pro ‘eruunt’, simplex pro composito. similes invenis variationes constructionis per omnia ceteris quoque dictionibus accidentia.

Aliae quoque pro aliis partibus vel dictionibus ponuntur, ut nomen pro adverbio, ut

sublime volas

et

Sole recens orto,
et contra adverbium pro nomine, ut

genus unde Latinum,

pro ‘ex quo’. et Cicero pro Deiotaro: en crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset, cur ‘propter quae’, et ‘iuste’ pro ‘vere’ vel ‘vere’ pro ‘iuste’ et ‘satis’ pro ‘sufficiens’. Euripides Sophocles Αἴαντι: δίκαιος γόνος pro ἀληθῆς. Lucanus in I:

Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.

idem in VII:

Quique necesse putat,
pro ‘necessarium’. Homerus ἐν Γ:

Αὐτὴ δ’ αὖθ’ Ἑλένην καλέουσ’ ἴε· τὴν δ’ ἐκίχανε
Πύργω ἐφ’ ὑψηλῶ, περὶ δὲ Τρωαὶ ἄλις ἦσαν,

<17.194> ἄλις dixit, quod est ‘satis’, pro ‘multae’. Virgilius in I Aeneidis:

multum ille et terris iactatus et alto

Vi superum,
nomen pro adverbio.

Praepositiones est quando abundant, est quando deficiunt, est quando aliae pro aliis ponuntur, tam apud Graecos quam apud nos.

Abundant, ut Isocrates Aeginetico: ἐν αὐτοῖς γὰρ τούτοις ἔτι σαφέστερον καὶ μᾶλλον ἐνεπεδειξάμην τὴν εὐνοίαν. nostri quoque frequenter hac utuntur abundantia praepositionis. Terentius in Andria:
accedo ad pedisequas.

idem in eunucho:

numquam accedo ad te, quin † doctior abeam.

in eadem:

Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat.

idem in Andria:

adeon ad eum?

in eadem:

Ad te advenio.

Ἴσοκράτης πανηγυρικῶ: ἀπεστερημένους δὲ τοῦ στρατηγοῦ, μεθ' οὗ συνηκολούθησαν. Ἀριστομένης βοηθοῖς:

εὖ γὰρ, εὖ

Πράττειν σε βούλομαι ἄγω. – Πῶς λέγεις; – Ὅπως

Μετ' ἐμοῦ ξυπέσει.

<17.195> Κρατῖνος ἐν Νεμέσει:

Μεθυστέρω χρόνῳ.

Virgilius in V:

spatio post deinde relicto

Tertius Euryalus.

Isocrates πρὸς Νικοκλέα: φίλους κτῶ, μὴ πάντας τοὺς βουλομένους, ἀλλὰ τοὺς τῆς σῆς φύσεως ἀξίους ὄντας, μηδὲ μεθ' ὧν ἥδιστα συνδιατρίψεις, ἀλλὰ μεθ' ὧν ἄριστα τὴν πολιτείαν διοικήσεις. Ὑπερείδης ἐν τῷ περὶ τοῦ ταρίχους: μετὰ ταῦτα ὕστερον ἦλθον ἀναθησόμενοι τὸ τάριχος. Virgilius in VIII:

Post hinc ad naves graditur socios-que revisit.

Praepositiones deficiunt, ut Virgilius in VIII:

Evolat infelix et femineo ululatu,

Scissa comam, muros amens atque agmina cursu

Prima petit,

deest 'cum: cum ululatu'. Homerus:

Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ κε θαλάσση,

deest σύν: σύν αὐτῇ γῆ. Virgilius in V:

His magnum Alciden contra stetit, his ego suetus,

deest 'cum'.

Aliae pro aliis ponuntur, ut Virgilius in I Aeneidis:

<17.196> Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa, super Priamo pro 'de Priamo'. idem in I georgicon:

sub lucem densa inter nubila sese.

idem in III georgicon:

Sub lucem exportant calathis,
pro ‘ante lucem’.

Coniunctiones quoque tam apud nos quam apud illos modo abundant, modo deficiunt, modo aliae pro aliis accipiuntur.

Abundant, ut:

Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem.

Horatius in epodo:

At o deorum quicquid in caelo regit
Terras et humanum genus.

Deficiunt, ut Virgilius in IIII Aeneidis:

Ferte citi flammis, date tela, impellite remos.

Aliae pro aliis accipiuntur, ut Virgilius in II Aeneidis:

Aut pelago Danaum insidias suspecta-que dona
Praecipitare iubent subiectis-que urere flammis,

pro ‘subiectis-ve’. Euripides Sophocles:

ᾠ θεοὶ πατρῶοι, συγγένεσθέ γ’ ἀλλὰ νῦν,
‘at’ dixit pro ‘saltem’. [et nostri. Terentius in eunucho:

si nequeas † paulo, at quanti queas.]

Adverbiorum vero quaedam sunt, quae cum supra dictis omnibus <17.197> accidentibus, id est diversis numeris et generibus et casibus et temporibus et personis, indifferenter ponuntur, ut ‘non bonus vir, non bona mulier, non bonum mancipium offendit me; non boni viri, non bonae mulieris, non boni mancipii est vituperare innocentem; non ego, non tu, non ille non facio, non facis, non facit’. similiter ‘bene, male, recte, prave’ possunt supra dictis omnibus apte adiungi. sunt autem alia adverbia, quae non possunt omnibus copulari, ut ‘o’, quando est vocativum, – ut Virgilius in I Aeneidis:

O regina, novam cui condere Iuppiter urbem –,
et ‘heus’ – idem in eodem:

heus, iuvenes, monstrate, mearum

Vidistis si quam hic errantem forte sororum –

alii casui non adiunguntur nisi vocativo, alia vero soli accusativo, ut ‘pone tribunal’ vel ‘pone domum, ultra fines’, quaedam ablativo, ut ‘coram iudicibus’, quod etiam in praepositionibus videmus fieri.

Proprie autem illae sunt praepositiones accipiendae, quae sine casualibus proferri non possunt separatae, ut ‘in illum, per illum, pro illo, sub illo, de illo, ab illo, ex illo’. nam ‘pone’ et ‘coram’ possunt etiam sine casualibus proferri, quia adverbia sunt, ut Virgilius in II Aeneidos:

Pone subit coniunx, ferimur per opaca locorum.

idem in primo Aeneidos:

coram, quem quaeritis, adsum

Troïus Aeneas.

sunt adverbia, quae diversis personis non conveniunt – ut ‘heia’: Virgilius in IIII Aeneidis:

Heia, age, rumpe moras, varium et mutabile semper

Femina —,

ad secundam dicuntur enim solam; sunt adverbia, quae proprie diversis <17.198> temporibus adiungi non possunt: ut ‘heri feci, nunc facio, cras faciam’; sunt alia, quae singulis modis sociantur per omnes personas et numeros et tempora, ut ‘utinam’ optativis. sed haec de adverbio in loco latius tractabuntur.

Coniunctio quoque communiter cum omnibus supra dictis invenitur, id est generibus, casibus, numeris, temporibus, personis, ut ‘vir et mulier, virorum et mulierum; doceo et docui et docebo ego et tu et ille; si facio et si faciam, si facerem et si faciebam, si fecerim et si feci, si fecissem et si feceram, si fecero et si faciam’.

Sed ad pronominis ordinandi tractationem redeamus. sciendum, quod coniugata pronomina, quae σύζυγα Aristarchus vocat, trium personarum primitiva seu derivativa invicem pro se poni per confusionem personarum ideo nec figurate possunt, quomodo nec verba, quia tres solas voces in tribus personis habent ‘mei, tui, sui; mihi, tibi, sibi; me, te, se; a me, a te, a se’, quomodo nec pluralia eorum ‘nos, vos; nostrum’ vel ‘nostri, vestrum’ vel ‘vestri; nobis vobis; nos vos’, nec derivativa ‘meus, tuus, suus, noster, vester’. ‘ipse’ autem et ‘ille’ et ‘hic’ et ‘iste’ et ‘is’ figurate et pro prima et pro secunda solent accipi, quippe cum non habeant sibi coniugatas primas et secundas, quibus impediuntur pro illis accipi. quod autem ‘sui’ proprie coniugatum est primae et secundae personae, ipsa declinatio consimilis illi cum eis ostendit: ‘mei, tui, sui; mihi, tibi, sibi; me, te, se; a me, a te, a se’. itaque ea tria pronomina suas defendentia proprias personas ad iura suae significationis non admittunt sibi coniugatas voces, id-que comprobatur etiam ex derivativis eorum: ‘meus’ enim, ‘tuus, suus’, quia sibi sunt coniugata similitudine declinationis et maxime quod singulae sunt in unaquaque persona eorum voces quomodo etiam in verbis, pro sese poni invicem vel sibi coniungi in una eadem-que persona possessorum non possunt. nemo enim dicit ‘ego tu’ nec ‘sui mei’ nec ‘tuus meus’ nec ‘suus meus’ nec ‘nostras vestras’ nisi addita coniunctione dicam ‘servus tuus et meus est, civis nostras et vestras’, in quo tamen possessio quidem communis significatur, possessorum <17.199> vero personae diversae. potest tamen et sine coniunctione dici ‘mea res tua est, animus meus tuus est’, in quo tamen diversas intellego personas possessorum. ‘ille’ autem ‘ego’ et ‘tu ipse’ et ‘hic ego’ et ‘iste ego’ et omnia tertiae personae pronomina exceptis ‘sui’ et eius derivativo ‘suus’ licet et primae et secundae figurate uni eidem-que coniungere personae; in verbis vero, quia una est sola vox tertiae personae, cum secunda vel prima in una eadem-que persona accipi non potest, nemo enim dicit ‘facio tu’ vel ‘ille’ vel ‘facis ego’ vel ‘ille’ vel ‘facit ego’ vel ‘tu’, singulis enim verba vocibus singulas significantia personas eas extra se aliis accommodare personas non patiuntur.

Et quid mirum in personarum discretione coniugatarum hoc fieri, cum liceat etiam ex contrario ex indiscretis generibus vel numeris vel casibus vel temporibus hoc manifesto intellegere, quippe cum ipsa confusione licentia datur

in diversis ea significationibus accipere. nam ‘mihi, tibi, sibi; me, te, se’ cum non discernant genera, licet quibuscumque placet generibus ea coniungere, ut ‘me ipsum’ et ‘me ipsam; te ipsum’ et ‘te ipsam’. ‘clari, clarae’ non secernit numerum: licet ergo et singularibus et pluralibus ea sociare.

‘Senatus, currus, vultus, facies, res, spes’ similiter diversorum sunt casuum communia: licet ergo quibuslibet eorum aptissime ea copulare. omnia verba praeteriti perfecti subiunctiva et futuri easdem voces habent absque prima persona: nihil igitur prohibet in utrovis tempore ea accipere. participia praesentis temporis et infinita eadem etiam praeteriti imperfecti sunt: licet igitur utrobique ea proferre, ut ‘scribens hodie proficio’ et ‘scribens heri proficiebam’, et ‘scribere volo hodie’ et ‘scribere volebam heri’. sciendum tamen, quod licet etiam praeteritis perfectis et plusquamperfectis participia vel infinita supra dicta sensum praeteriti imperfecti <17.200> significantia coniungere, ut ‘scribens profeci’ vel ‘profeceram’, id est ‘cum in scribendo eram, profeci’ vel ‘profeceram’; ‘scribere volui’ vel ‘volueram’, id est ‘incipere scriptionem volui’ vel ‘volueram’. scimus enim, quod praeteritum imperfectum inceptionem quidem rei significat, nondum tamen perfectionem, id-que usus auctorum comprobant. communia verba tam activam quam passivam constructionem concipiunt, ex qua discernitur varietas significationis: ‘crimino te’ et ‘a te, hortor te’ et ‘a te’. ‘amet, doceat, legat, audiat’ sunt imperativi praesentis, sunt optativi futuri et subiunctivi praesentis, nec aliter possunt eorum significari varietates nisi per constructionem eis accidentium adverbiorum vel temporum, ut imperantes quidem sine adverbio dicimus ‘amet, doceat, legat, audiat’, optantes vero cum adverbio ‘utinam amet, doceat, legat, audiat’, subiungentes quoque ‘cum amet, doceat, legat, audiat’. ‘amato, doceto, legito, audito’ et secundae sunt et tertiae personae: additione igitur pronominum discernuntur: ‘amato tu, amato ille’.

In omnibus igitur huiusmodi dictionibus, quae diversas habent significationes, constructio maxime ad eas explanandas est necessaria, sicut etiam in nominibus, in quibus similes inveniuntur voce, diversi casus vel genera vel numeri: ut ‘poetae’ genitivus et dativus singularis ‘huius poetae’ et ‘huic poetae’ et nominativus et vocativus pluralis ‘hi poetae’ et ‘o poetae’. similiter ‘docti’ genitivus singularis ‘huius docti’ et nominativus et vocativus plurales ‘hi docti’ et ‘o docti’. similiter ‘caedes, res, facies’ nominativi singulares et vocativi ‘haec facies’ et ‘o facies’, ‘haec caedes’ et ‘o caedes’, ‘haec res’ et ‘o res’, plurales vero et nominativi et accusativi et vocativi ‘hae facies, has facies’ et ‘o facies’.

Multa quoque etiam in aliis partibus invenies similia nec aliter ea discernes nisi ex consequentia ordinationis, id est casus casibus et genera generibus et numeros numeris et personas personis et tempora temporibus, <17.201> congrue disponendo. non igitur, si quid simile est voce, hoc eisdem necesse est omni modo accidentibus coniungi, sed ad intellectum referri, utputa omnis dativus et ablativus pluralis mobilium nominum vel pronominum vel participiorum similis est per tria genera, ut ‘bonis, illis, accusatis’. et tamen cum de maribus loquimur, masculinis ea coniungimus, cum de contrario sexu,

femininis, cum extra utriusque significationem, neutris, ut ‘bonis viris loquor’ et ‘bonis mulieribus’ et ‘bonis mancipiis’, et ‘accusatis viris, accusatis mulieribus, accusatis mancipiis’. sic et similia, quae confusionem significationis per ordinationis iuncturam et accidentium discutunt.

Omnis enim constructio, quam Graeci σύνταξις vocant, ad intellectum vocis est reddenda. itaque per diversas figuras variare solent auctores in constructione accidentia, de quibus iam supra docuimus, quae, quamvis quantum ad ipsas dictiones incongrue disposita esse videantur, tamen ratione sensus rectissime ordinata esse iudicantur, utputa prima persona et tertia in unam figurate coeunt, ut Virgilius:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen,

est enim intellectus ‘ego Virgilius ille, qui quondam scripsi bucolica et georgica’. diversi quoque numeri hoc modo figurati reperiuntur, ut Virgilius in I Aeneidis:

Pars in frusta secant veribus-que tremantia figunt.

plurale singulari non ad dictionem, sed ad sensum retulit, quia pars Troianorum multi intelleguntur; et per diversa genera:

Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa,
Virgilius in VIII. quamvis enim Praeneste neutrum sit, sed quia ‘urbs’ intellegitur, ad id quod intellegitur quam ad vocem nominis reddidit dicens sub ipsa. similiter per omnia accidentia omnium partium <17.202> orationis frequenter invenimus huiusmodi figuras: et casus pro casibus, ut:

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum

Virgilius in VIII fluvius pro ‘fluvie’ et:

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu scepra Iovem-que
Concilias,

regni pro ‘regnum’. de quibus sufficienter in superioribus diximus.

De ‘tu’ quoque quidam dubitaverunt, nominativus sit tantum an vocativus: sed uterque in eo esse ostenditur, quomodo et in omnibus fere Latinis nominibus in us terminantibus secundae declinationis. et quondam Trypho, quod Apollonius arguit, vocativum eum solum putavit, deceptus a nominum vocativis, qui coniunguntur secundae personae verborum, quod dicimus ‘tu legis’ et ‘discipule legis’, sed et cum prima et tertia verbi persona coniungitur bene vocativus, qui suus est secundae, nec tamen ideo dicimus, primam vel tertiam vocativos habere nec secundae vocativum non esse, ut ‘lego discipule’ et ‘legit discipule’. necesse est illos maxime casus habeant pronomina, quibus deficiunt in utraque persona nomina, et maxime nominativum. vocativo enim pronomina non egent, qui nec demonstrationem nec relationem, quibus funguntur pronomina, possidet, sed solam conversionem, id est ἀποστροφήν, sed hoc ipso, quia vel nutu vel vocis directione non solum ad eos, quos videmus, sed etiam ad illos, ad quos vox nostra potest pervenire etiam absentes, vocare solemus vel ignorantes propria eorum nomina vel confuse hoc utentes etiam ad multos, ut unus ex eis respondeat, ut ad servos ‘tu’ dicimus.

Illud quoque sciendum, quod suum est pronominis in prima et secunda <17.203> persona habere nominativum, vocativum vero non solum pronomina, sed etiam nomina et participia habent, qui casus proprius est secundae personae, ut ‘scribe Virgili’ et ‘scribis Virgili’. sed quod etiam nominativi omnium casualium secundis verborum est quando coniunguntur personis, ostendunt substantiva verba et vocativa, quae nisi nominativis non sociantur, ut ‘ego grammaticus sum, tu orator es, ille philosophus est; ego Priscianus nominor, tu Apollonius vocaris, ille Virgilius nuncupatur’. Virgilius in I Aeneidis:

Tu-ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?

ergo sine dubio haec constructio ostendit hic nominativum esse. praeterea hoc approbatur, cum distinctive ‘ipse’ qui est nominativus trium personarum nominativis necessario coniungitur, ut ‘ipse ego facio’ – Virgilius in V:

Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo –,
‘tu ipse facis.’ – idem in eodem:

Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui.

Virgilius in bucolico:

Verum id quod multo tute ipse fatebere maius.

Cicero in III Verrinarum: tu ipse ex edicto Siculo hoc sustulisti –, ‘ille ipse facit’. cum igitur nomina primae et secundae personae nominativos non habeant nec ceteros obliquos, vocativum tamen habeant pleraque, loco deficientium, ut paulo ante ostendimus, funguntur pronomina. relatio quoque cum ad ceteros fiat casus, ad vocativum non fit, ut ‘ego lego, qui scripsi, tu legis, qui scripsisti, ille legit, qui scripsit; meus est servus, cuius aere emptus est’, vocativus autem ideo in relativis esse non potest, quia antecedentem cognitionem significare non potest. similiter quando diversae uno sociantur verbo personae, necesse est nominativos <17.204> coniungi: ‘ego et tu et ille docemus’; nemo enim dicit ‘ego et grammaticae et ille docemus’, nisi si attentionis causa ponens nominativum pronominis adiungam ei vocativum nominis, ut ‘ego et tu, grammaticae, et ille docemus’.

Et nomina quidem quamvis tertiae sint personae, tamen habent pleraque, ut diximus, vocativum. nec mirum, cum verbis quoque vocativis, quomodo et substantivis coniuncta, possunt tam primae quam secundae esse personae. quomodo ergo, si dicam ‘Virgilius vocaris’, a tertia in secundam transfero nomen persona, sic vocando eundem intellectu ipso vocandi facio secundam personam ‘o Virgili’, id est ‘te voco Virgili’. excipiuntur infinita nomina vel interrogativa vel relativa vel redditiva vel distributiva, quae, quia incertae sunt personae vel diversae, vocativum habere non possunt, ut ‘quis, qui; qualis, talis; quantus, tantus; quot, tot; uterque, alter; singuli, bini, terni’ et similia. ad huiusmodi enim nomina vocatio fieri non potest, quamvis licet etiam ad secundam ea coniungere personam, sed per nominativos, ut ‘qui estis? quales estis? uterque Scipiones vocamini, singuli veniatis ad me, terni prandete apud me’. Virgilius in I:

Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?

Pronomina vero primae vel tertiae personae minime possunt habere vocativum nisi possessiva primae, quando coniunguntur vel diriguntur ad secundam personam, quippe cum possit aliquis ad suam loqui possessionem, id est ad filium vel ad servum vel ad matrem vel ad uxorem et dicere ‘o mi, o mea, o meum; o noster, nostra, nostrum’. et est proprium possessivorum pronominum, duas significare personas, ipsam quidem, quae possidet, per genetivum ubique, eam vero, quae possidetur, per omnes casus. itaque secundae personae possessivum, cum in genetivo sit ipse possessor intellegendus, ad quem dirigitur sermo, vocativum quoque <17.205> habere non potest, nisi figurate velimus dicere, ‘tue et non aliene’, id est ‘tui potestatem habens’, quomodo ‘ego meus sum’. Euripides:

ἐγὼ δ’ ἐμός εἰμι.

sed quamvis non careat ratione, tamen in usu non est, quomodo nec ‘sue illius nate’, ut ‘proprie illius nate’. cum igitur in omnibus possessivis tam possessor quam possessio intellegatur nec alii possint casus quantum ad possessores nisi genetivi intellegi, non possunt habere vocativos nisi per ipsas possessiones, cum in secunda esse intellegantur eae persona. nec prima tamen primam nec secunda secundam potest possidere, nisi, sicut ostendimus, figurate dicat aliquis ‘ego sum meus dominus et servus, tu es tuus et doctor et discipulus’, ut Persius:

Vindicta postquam meus a praetore recessi.

tertia vero tertiam potest possidere, quia multae et diversae possunt esse tertiae. vocativum tamen aliud pronomen in usu non habet nisi primitivum secundae personae et possessivum primae, quando ad id sermo dirigitur, id est quando secundae sociatur personae; licet enim naturaliter ad suam loqui possessionem. tertia vero possessiva, etsi naturam habeat, ut per vocativum dici possit, ut praedictum est – possumus enim etiam ad alienam possessionem dirigere sermonem, ut:

O genitor noster Saturnie maxime divum,
et ‘Euandrie fili’ vel ‘Telamonie Ajax’ – itaque quamvis quantum ad ipsam rerum naturam recte videatur posse dici ‘o sue fili Euandri’ et ‘o sua uxor Euandri’, ut si dicam ‘Euandrie fili’ et ‘Euandria uxor’, cum in hoc duae tertiae intellegantur personae possessoris et possessionis: usus tamen deficit, quomodo etiam apud Graecos teste Apollonio σφέτερε, cum rationabiliter possit dici, in usu tamen non invenitur. de hoc enim ἐν τῷ <17.206> περὶ συντάξεως tertio clarius tractat. secundae autem personae, ut supra dictum est, derivativum ideo non potest habere vocativum, quia necesse est genetivum primitivi in eo intellegi in possessore ipso, ad quem loquimur, et vocativum in possessione, sed possessio secundae personae necessario vel ad primam vel ad tertiam personam refertur, quae naturaliter carent vocativo: ‘tuus filius sum’ vel ‘tuus filius est ille’. et quamvis figurate, ut supra dictum est, dicam ‘tu ipse tuus es et dominus et servus’, tamen vocativum non invenies nec figurate in hoc pronomine prolatum, ut eundem et possessorem et possessionem in una eadem-que persona videatur aliquis affari dicendo ‘tue’, quomodo apud Graecos ‘σέ’ ἀπὸ τοῦ ‘σός’, teste eodem Apollonio. quemadmodum igitur nomina tertiae sunt personae, sic etiam possessiva pronomina, quamvis quantum ad personas

possidentium finita sint et primae et secundae et tertiae, tamen quantum ad possessiones ipsas tertiae sunt personae, nisi substantivis vel vocativis adiungantur verbis, sicut et nomina: ‘meus es filius, meus vocatur servus; tuus nominor parens, tuus est pater; suus illius sum filius, suus illius es filius, suus illius est filius’.

Pronomen ‘ipse’ tribus aptissime, ut supra diximus, coniungitur personis. itaque Apollonius ἐπιταγματικόν hoc vocat, id est appositivum, quod aliis pronomibus apponitur, ut ‘ipse ego’ vel ‘ego ipse’, ‘tu ipse’, ‘ille ipse’. et quamvis inveniantur etiam alia pronomina figurate sic coniuncta per diversas personas, ut ‘ego ille, tu ille, hic ille’ – ut Virgilius:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen.

idem in I Aeneidis:

Tu-ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae.

Terentius in Andria:

Hic est ille, ne te credas Davum ludere –,
<17.207> non tamen, quomodo ‘ipse’ sine alio pronomine possunt primae et secundae personae verbis adiungi, ut ‘ipse facio, ipse facis’. Virgilius in II:
quae-que ipse miserrima vidi.

idem in bucolicon:

Cum faciam vitulam pro frugibus, ipse venito.

alias autem voces tertiae pronominum personae per se sic verbis primae et secundae personae non possumus copulare. nemo enim dicit ‘ille facio’ et ‘ille facis’, nisi addas et pronomina primam et secundam demonstrantia personam, ut Cicero invectivarum II: hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exilium eicio, quaesivi a Catilina. sed ‘ille ego’ vel ‘ille tu’ cum dicimus, relationem significamus antecedentis cognitionis, ‘ipse ego’ vero discretionem, id est ‘ipse ego per me et non alius’.

Hoc autem appositivum pronomen, id est ‘ipse’, quamvis et imperativo societur – dicimus enim ‘ipse facis’ et ‘ipse fac’ –, non habet tamen vocativum. nullum enim pronomen potest habere vocativum, ut diximus, nisi primitivum secundae personae, ad quod dirigitur sermo, et derivativum primae, quando coniungitur primitivo secundae vel voce vel intellectu, ut ‘o mea tu’ et ‘o noster Chremes’. praeterea vocativus substantivo vel vocativo verbo per se non coniungitur, sed nominativus. nemo enim dicit ‘docte es, clare vocaris, Virgili diceris’, sed ‘doctus es, clarus vocaris, Virgilius diceris’. ‘ipse’ ergo nisi nominativi vice nominis fungi non potest. nihil autem mirum secundae personae nominativo imperativum adiungi, cum et tertiae personae, quae prorsus vocativum non habet, adiungantur imperativa, ut ‘faciat’ et ‘facito ille’, ‘faciant’ et ‘faciunto illi’. illud quoque sciendum, quod vocativis frequenter utimur sine verbis secundae personae, ut ‘miror te Virgili, intellego te Homere’, nominativos vero nisi per ellipsin numquam sine verbis proferimus eiusdem personae, ut ‘bonus es, Apollonius nominaris’.

Omnia autem pronomina, quae vocari possunt, similem habent nominativo vocativum excepto ‘mi’ pro ‘mee’. nec mirum, cum etiam nomina <17.208>

pleraque apud Latinos, ut diximus, eosdem habent nominativos et vocativos. Atticis quoque mos est nominativos pro vocativis proferre. Homerus:

Ἡέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾶς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

quem secutus Virgilius in VIII:

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum

fluvius pro 'fluvie' dixit, et Lucanus in II:

Degener o populus, vix saecula longa decorum

Sic meruisse viris,

pro 'popule'. Macedones autem et Thessali e contrario vocativos solebant pro nominativis proferre. Homerus:

Αὐτὰρ ὃ αὐτε Θύεστ' Ἀγαμέμνονι δῶκε φορῆναι.

hic vocativus est pro nominativo: Θύεστα dixit pro Θυέστης. unde Romani frequentissime huiusmodi nomina, et maxime appellativa per vocativum Graecum etiam pro nominativo suo proferunt: 'sophista, citharista, poeta, Scytha, Sarmata, Sosia'. Persius tamen indubitanter vocativum pro nominativo posuit:

Censorem-ve tuum vel quod trabeate salutas?

trabeate pro 'trabeatus'. et Horatius:

macte

Virtute esto

pro 'mactus virtute'.

<18.210> DE CONSTRUCTIONE.

In superiore libro de articularium dictionum et pronominum tractantes constructionibus, necessario plurima etiam de nominis et verbi constructionibus, sine quibus illa orationem perfectam complere nequeunt, diximus, quippe quae ex maxima parte communes eis sunt cum illis. in hoc quoque de nominibus et verbis praecipue, quamvis et de ceteris partibus, cum eis etiam plurima inveniantur communia, exponemus. ergo minime mireris, si eadem exempla constructionum repetantur, cum in plerisque consimiles sint supra dictorum et dicendorum rationes.

Singulorum igitur casuum per ordinem constructiones videamus.

Nominativus et vocativus absoluti sunt, id est per unam personam intransitive possunt proferri, ut 'ego Priscianus ambulo, tu Plato philosopharis, Aristoteles disputat'. et si substantivis verbis vel vocativis iungantur primae et secundae personae, non egent pronomibus, quippe essentiam sui vel nominationem significantes, ut 'homo sum, Cicero nominor'; sin aliis consociantur verbis, tunc necessario adiunguntur pronomibus, ut ipsius essentiae praesentis demonstratione transeant a tertia persona conexione pronominum ad primam vel secundam, ut 'ego Priscianus scribo, tu Apollonius' – vel 'Apolloni' – 'scribis' et sciendum, quod vocativus non eget pronomine, quippe cum secundam sua voce finiat personam – ut 'Apolloni legis' vel 'lege, Terenti scribis' vel 'scribe'. Virgilius in X:

vigilas-ne deum gens?

Aenea vigila.

<18.211> Persius:

Censorem-ve tuum vel quod trabeate salutas? –, quamvis ad perfectam significationem bene additur indicativo verbo ‘tu’ nominativus. si vero tollamus pronomina ab hac constructione, quae nominativo construitur, dicendo ‘Priscianus scribo, Apollonius scribis’, soloecismum facimus. nam nomina per se et participia absque vocativo casu tertiae sunt personae. quomodo ergo non dicimus ‘ille lego’ vel ‘ille legis’, sic non dicimus ‘Priscianus lego’ nec ‘Apollonius legis’; quomodo autem ‘ille ego lego’ et ‘tu ille legis’ recte dicitur, sic ‘Priscianus ego lego’ et ‘tu Apollonius legis’ vel ‘Apolloni’. licet enim et nominativum et vocativum nominis secundis adiungere pronominum personis. Virgilius:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen.

Horatius in I sermonum:

Tu-ne Syri, Damae aut Dionysi filius audes?

Virgilius in I Aeneidos:

Tu-ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae?

et sciendum, quod has quidem constructiones, quae per nominativum absolvuntur, stoici ἀξιώματα vel συμβάματα, id est dignitates vel congruitates, vocabant – ut ‘ego Priscianus scribo, Apollonius ambulat, Plato philosophatur’ – , illas vero, quibus transitiones ab alia ad aliam fiunt personam, in quibus necesse est cum nominativo etiam obliquum aliquem casum proferri, παρασυμβάματα dicebant, hoc est minus quam congruitates, ut ‘Cicero servat patriam’, quando vero ex duobus obliquis constructio fit, ἀσύμβαμα, id est incongruitatem, dicebant, ut ‘placet mihi venire ad te’, sive nominibus ipsis tamen seu verbis hoc exigentibus.

<18.212> Nominibus quidem exigentibus obliquos necesse est substantivum verbum vel participium consequi, ut ‘filius Herculis sum’ vel ‘filius Herculis esse dicor’ et ‘commodus duci sum’ et ‘commodus duci esse videor; bonus sum animam’ et ‘bonus esse animam intellegor; fortis sum virtute’ et ‘fortis esse virtute appareo’. est autem quando per ellipsin verbi vel participii substantivi huiusmodi casuum (id est nominativi cum obliquis) constructio soleat proferri, ut ‘filius Pelei Achilles multos interfecit Troianos’, — subauditur enim participium verbi substantivi ‘ens’, quod in usu nunc nobis non est, pro quo possumus ‘qui est’ vel ‘qui fuit Pelei filius’ dicere vel subaudire.

Similiter aliis casibus nominativum consequentibus vel supra dictum participium vel quae pro eo accipiuntur subaudire necesse est ad nominativum: ‘commodus mihi amicus proficiscitur’ id est ‘qui mihi est commodus amicus’; ‘honestus faciem vir cernitur’ hoc est ‘qui est honestus faciem’; ‘celer pedibus currit homo’ subauditur ‘qui est’.

Et haec quidem ipsorum nominum exigente natura sic variantur casibus, quibus licet vel pronomina vel participia per eosdem casus coniungere, ut ‘ille filius Pelei Achilles bellans multos interfecit Troianos’ et ‘illius Pelei florentis virtute filius Achilles fuit’.

Idem licet per omnes casus facere: eosdem enim obliquos casus, quos sibi adiungit nominativus, potest etiam flexus idem habere, sed non tamen eadem

constructione verborum. nam ad alias transeunt verba personas, quippe nominativum desiderantia, ut ‘filii Pelei fuit victoria Graiorum; filio Pelei cessit Hector; filium Pelei timuit Troia; filio Pelei floruit Graecia’. et haec quantum ad naturam ipsorum inter se nominum per varios casus construendorum.

Verba quoque transitiva similiter variis solent casibus coniungi, ut ‘miles eget imperatoris; Aeneas praemia donat Euryalo; Plato erudit Aristotelen; Cicero potitur laude’. quomodo autem nominativus obliquis apte possit construi, quantum ratione potui comprehendere docebo, quos tamen etiam flexus sibi defendit, ut ‘Aeneas rex Troianorum; Aeneae <18.213> regis Troianorum; Aeneae regi Troianorum’; sic per reliquos casus quoque.

Nominativus igitur [casus nominum] genetivo adiungitur, quando possessio aliqua et possessor significatur. et nominativo quidem possessionem, genetivo autem possessorem proferimus, ut ‘Hector filius Priami; Davus servus Simonis; Aeneas rex Troianorum; Patroclus amicus Achillis; patronus Verris Hortensius’. quae sic interpretamur, ut, adiuncto verbo possessionem significante, possessio quidem mutet nominativum in accusativum, possessor vero genetivum in nominativum, verbi huius natura hoc exigente, ut intransitive quidem nominativum, transitive vero accusativum exigat; ‘quid est enim Hector filius Priami?’ interpretantes dicimus: ‘hoc est ‘Hectorem filium Priamus possidet’ vel ‘habet’, ‘patronus Verris Hortensius est?’ id est ‘patronum Verres Hortensium possidet’’. licet tamen haec eadem, cum substantivo verbo adiungantur, tam genetivo quam dativo conectere, ut ‘filius Priami’ et ‘Priamo fuit Hector’ et ‘Davus servus Simonis’ et ‘Simoni’ et ‘Patroclus amicus Achillis’ et ‘Achilli’; similiter ‘comes, socius, affinis, cognatus, vicinus, propinquus’ et similia, id est omnia ad possessionem pertinentia. Virgilius in VII:

Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostrae
pro ‘possideo natam’. sed magis dativo quasi ad ignorantes utimur, ut in supra dicto versu. nam ad scientes, esse natam, nomen autem proprium ignorantes, dixisset ‘mea’ vel ‘mei nata, Lavinia est’, subdistinctione posita post ‘natam’; contra autem nomine quidem cognito, ignorata vero cuius esset nata, dixisset ‘Lavinia, mea nata est’, post ‘Laviniam’ subdistinguendo, ut Virgilius in bucolico:

Si nescis, meus ille caper fuit
ad scientem caprum, nescientem autem eius possessorem dixit. idem in eodem:

Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca
<18.214> ad nescientem, si sit pater. alio quoque sensu invenis dativos pro genitivis, ut Virgilius in X:

 fusos cervix cui lactea crines

Accipit

pro ‘cuius crines’. supra dictis vero ex contrario videntur illa proferri, quae laudem vel vituperationem vel accidens aliquid ostendunt ab aliquo possideri. per nominativum enim possessorem in huiusmodi significationis structura, per genetivum vero possessionem proferimus in essentiae demonstratione, ut ‘magnae virtutis vir’, id est ‘magnam virtutem habens’; ‘egregiae pulchritudinis mulier’, id est ‘egregiam pulchritudinem habens’; ‘nimiae tenacitatis homo’, id

est ‘nimiam tenacitatem habens’; ‘extremae turpitudinis animal’, id est ‘extremam turpitudinem habens’; ‘albi quidem coloris est cycnus, nigri vero corvus’, id est ‘album colorem cycnus habens, corvus nigrum’. et Graeci quidem in huiusmodi sensu genetivo tantum utuntur, Latini vero etiam ablativo frequentius, ut ‘magna virtute vir’ pro ‘magnam virtutem habens’; ‘egregia pulchritudine mulier’ pro ‘egregiam pulchritudinem habens’. sic et similia. Terentius in Andria:

† video unam adulescentulam,
Forma ac voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.

similiter quando consequentiam aliquam rerum per genetivum significant Graeci:

Οὐ τις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοι
Σοὶ κοίλαις παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

<18.215> huiusmodi sensum nos per ablativum proferimus: ‘non me vivo et in terra videndo’, id est ‘dum ego vivo et in terra videor’; necesse est enim huiusmodi structurae sive nomen seu participium prolatum verbo interpretari, ‘dum’ adverbio vel eandem vim habentibus addito. Virgilius in VII:

non vobis rege Latino
Divitis uber agri Troiae-ve opulencia deerit,
id est ‘dum rex sum Latinus’ vel ‘donec Latinus regnat’. licet enim vel nominativum pro ablativo, et maxime nominum, cum verbo substantivo ponere vel verbum cognatum significationi ipsius nominis, ut ‘me doctore florent Musae’, id est ‘dum ego doctor sum’. nam participia raro sic proferuntur, pro ‘me docente’ ut dicam ‘dum ego docens sum’, verbum vero cognatum significationi ipsius nominis, quod per ablativum profertur, ponimus, ut ‘me doctore, dum ego doceo; illo imperatore, donec ille imperat; pietate manente, dum pietas manet; virtute florente, quoad virtus floret’.

Comparativa quoque et superlativa Graeci genetivo adiungunt, nos autem comparativa quidem ablativo, ut ‘fortior Achilles Hectore’, superlativa vero genetivo, ut:

fortissime gentis,
de quibus latius in libro tertio de nominis comparatione dicentes tractavimus.

Verbalia quoque in ‘or’ desinentia vel ‘rix’ transitiva, quae a verbis actum aliquem significantibus fiunt, genetivo iunguntur, ut ‘amo illum, amator’ et ‘amatrix illius; doctor doctrix; munitor munitrix; lector lectrix; tonsor tonstrix; mirator miratrix’. Lucanus in VIII:

Impressit dentes Haemorrhais aspera Tullo,
Magnanimo iuveni miratori-que Catonis.

Similiter genetivo adiunguntur participialia plerumque vel participiorum <18.216> transitivorum absque tempore vim habentia (transitiva autem participia sunt, quae a transitivis verbis nascuntur, ut ‘amo illum, amans illum; fido illi, fidens illi; invideo tibi, invidens tibi’), nisi sint passiva, id est futuri passivorum similia: tunc enim dativo vel ablativo adiunguntur, sicut et participia

eiusdem formae [id est in ‘dus’ desinentia], ut ‘amans illius’, similiter ‘abundans, sapiens, patiens, fidens’. Virgilius in II Aeneidos:

Obtulerat fidens animi atque in utrumque paratus,
similiter ‘inops, praeceps’. Virgilius in III Aeneidos:

Saevit inops animi.

idem in VIII:

Et praeceps animi Tmarus et Mavortius Haemon.
similiter ‘cupidus, rapidus, avidus’ – Virgilius in VIII:

Ergo avidum pugnae dictis ac numine Phoebi

Ascanium prohibent –,

‘fidus illius’ – Virgilius in XII:

Praeterea regina tui fidissima dextra

Occidit ipsa sua –,

‘doctus grammaticae, prodigus animae’. Horatius carminum I:

Regulum et Scauros animae-que magnae

Prodigum Paulum.

‘abundans illius rei’ nomen est, nam participium ablativo, quomodo et verbum eius, coniungitur. Virgilius in bucolico:

Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.

Cicero pro Cluentio: mulier abundat audacia. idem pro Cornelio <18.217> II: quis tam abundans copiis. similiter ‘patiens’, quando nomen est, genetivo sociatur – Lucanus in VIII:

Qua niger astriferis conectitur axibus aer,

Quod-que patet terras inter lunae-que meatus, —

Semidei manes habitant, quos ignea virtus

Innocuos vita patientes aetheris imi

Fecit, — et aeternos animam collegit in orbis.

Virgilius in II georgicon:

patientem vomeris unci –,

quando participium, accusativo, sicut et verbum ex quo venit, ‘patior illam rem, patiens illam rem’. Virgilius in III Aeneidis:

Haut impune quidem, nec talia passus Vlixes.

‘amans illius’ Cicero pro Caelio: clarissimi ac fortissimi patriae-que amantissimi. Sallustius in Catilinario: alieni appetens, sui profusus. et attende, quod voce passiva ‘profusus’, quia magis actum significat, genetivo est coniunctum. similiter si dicam ‘doctus grammaticam’, participium est, ‘doceor’ enim ‘grammaticam’ dicimus. et necesse est, ut diximus, casum, quem verba sequuntur, etiam participia sequi. ‘doctus grammaticae’ nomen est, ‘fugitans litium’ nomen est; nam ‘fugitans lites’ participium, dicimus enim ‘fugito, fugitas lites’. Terentius in Phormione:

Erus liberalis est et fugitans litium.

similiter ‘praefectus urbis’ nomen est, ‘praefectus urbi’ participium; verbum enim dativo coniungitur ‘praeficio tibi’. et postremo omnia, quae similem habent significationem in ‘or’ desinentibus verbalibus transitivis, genetivo

solent iungi, ut ‘dubius illius rei’; similiter ‘anceps illius rei, nescius, expers, doctus, peritus’.

<18.218> Similiter genetivo adiunguntur omnia, quae obtineri vel desiderari aliquid ostendunt vel contraria his. et obtineri quidem aliquid ostendunt ‘dives, copiosus, opulentus, capax, tenax’. Virgilius in I Aeneidis:

ditissimus agri

Phoenicum.

idem in II georgicon:

Dives opum variarum.

et quae desiderari aliquid ostendunt: ‘avarus illius rei, cupidus, avidus, studiosus’, contra vero deesse aliquid significantia ‘egenus, indigus, inops, pauper, vacuus’. Horatius in I sermonum:

horum

Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

idem in II

Sic vacuum cerebri populum Phaeaca putavit.

Licet autem, ut dictum est, in omnibus possessionibus et pronomen vel nomen possessivum pro genetivo primitivi et dativum pro eo ponere, ut ‘Euandrius filius fuit Pallas’ et ‘Euandri filius’ et ‘Euandro filius fuit Pallas; Telamonius filius fuit Ajax’ et ‘Telamonis’ et ‘Telamoni filius Ajax; pater meus fuit Aristarchus’ et ‘pater mei’ et ‘pater mihi; cliens Tullianus fuit Roscius’ et ‘cliens Tullii’ et ‘Tullio fuit Roscius’.

Similiter omnia ad aliquid eandem constructionem servant. et haec enim possidentur. maxime autem quando ad gratiam vel utilitatem alicuius vel contra aliquid fieri volumus significare, dativis utimur. Lucanus in II:

urbi pater est urbi-que maritus,

id est ‘ad utilitatem urbis et pater fieri passus est et maritus’. similiter ergo possumus dicere ‘fortis patriae sum’ et ‘multis fortior patriae sum’ et ‘omnium utilissimus patriae sum’ et ‘cunctorum piissimus patriae sum’. nam positivorum constructio etiam comparativis et superlativis servatur extra suam illorum constructionem, quam habent in comparando.

<18.219> Huiusmodi autem constructiones, id est quae dativo adiunguntur tam nominum quam verborum, acquisitivas Graeci vocaverunt, id est περιποιητικός, quae nobis aliquid boni mali-ve adquirunt. quorum pleraque a verbis derivantur vel generant verba sunt-que adiectiva, ut ‘utilis tibi sum’ vel ‘inutilis’; ‘commodus illi sum’ vel ‘incommodus’; ‘fidus’, cuius tamen superlativum etiam genetivo adiunxit Virgilius in XII:

Praeterea regina, tui fidissima, dextra

Occidit ipsa sua.

similiter ‘damnosus, periculosus, carus, facilis, difficilis, quaestuosus, vendibilis’ et omnia similia, quae ferre aliquid commodi vel incommodi demonstrantur. quid est enim aliud ‘utilis tibi sum’ nisi ‘utilitatem tibi ferens’, ‘calamitosus, calamitatem ferens’?

Et postremo omnia verbalia in ‘lis’ vel in ‘dus’ desinentia participiis futuris similia dativum asciscunt, ut ‘mirabilis, legibilis, orabilis, amabilis mihi est;

penetrabilis' et 'penetrabilis, extricabilis, dicendus, amandus, docendus' et similia, 'docilis' et 'docibilis'. sed 'docilis' est qui facile docetur, 'docibilis' qui facile discitur, quomodo 'penetrabilis' qui in intimis est partibus, 'penetrabilis' qui facile penetratur.

Aequiperantia etiam quomodo et verba, quae Graeci ἰσοπαλῆ vocant, et subiecta vel superposita, quae ἐπαναβεβηκότα, quae tamen et ipsa ad aliquid sunt dicta, de quibus iam diximus, 'subiecta' vero vel 'superposita' dicuntur, quod licet ea et subicere et praeponere, ut 'pater filii' vel 'filio est pater' et 'filius patris' vel 'patri est filius', similiter 'dominus: servus, imperator: miles, tyrannus: armiger, satellites: rex, erus: famulus, cliens: patronus' licet quovis ordine per utrumque casum proferre; 'similis' quoque et 'dissimilis, par: impar, aequus: iniquus, amicus: inimicus, comes: socius, affinis: cognatus, propinquus: vicinus, commilito: contubernalis'. <18.220> Terentius in eunucho:

Quid tibi ego plura dicam? domini † similis es.

Iuvenalis in II:

non similis tibi Cynthia.

Cicero pro M. Marcello: simillimum deo iudico. Lucanus in X:

Quem metuis, par huius erat.

idem in VIII:

Par geminis Chiron et idem quod carcos ardens

Scorpios.

Accusativo quoque nominativi adiunguntur figurate, quando, quod parti accidit, hoc toti redditur. et totum quidem per nominativum, pars autem per accusativum profertur, ut 'fortis dextram' pro 'fortem dextram habens; celer pedes' pro 'celerem pedes habens; sapiens animam' pro 'sapientem animam habens; albus colorem' pro 'album colorem habens'. et in omnibus subaudiendum 'qui est', etiam si obliquantur, ut 'albi colorem equi' id est 'equi eius, qui est albi coloris; albo colorem equo; album colorem equum'. sic etiam per pluralia 'albi colorem equi oblatis sunt imperatori; alborum colorem equorum corpus fuit; albis colorem equis vehitur; albos colorem equos iungit'. nam quicumque casus nominativo adiunguntur, etiam declinato construi possunt. Virgilius in I:

Nuda genu nodo-que sinus collecta fluentes.

idem in VI:

lacerum crudeliter ora,

<18.221> Ora manus-que ambas populata-que tempora raptis

Auribus.

idem in V:

intenta-que brachia remis

Intenti.

Ablativus etiam coniungitur nominativo, quando per eum aliquid evenire demonstratur illi, qui per nominativum profertur, ut 'acutus oculis' id est 'per oculos; validus viribus' id est 'per vires; gloriosus laude' id est 'per laudem'. in hoc sensu Graeci quidem dativo, nos vero ablativo utimur. et quod supra quoque ostendimus, quando haberi aliquid vel consequi per genetivum Graeci

ostendunt, nos ablativo utimur, ut μεγάλης ἀρετῆς ἀνὴρ, [id est ‘magnam virtutem habens vir’], Latini ‘magna virtute vir’ dicunt; frequenter tamen et genetivo secundum Graecos in hoc sensu utuntur, ut ‘magnae virtutis vir’. Virgilius in I:

ditissimus agri

Phoenicum.

idem:

Dives equum, dives pictai vestis et auri.

Sallustius in Iugurthino: homines veteris prosapiae, multarum imaginum ac nullius stipendii. Terentius in Andria:

forte unam aspicio adulescentulam,

Forma ac vultu, Sosia,

Adeo modesto, adeo venusto,

hoc est ‘virginem, quae habebat formam ac vultum modestum et venustum’. similiter in consequentiae significatione illi genetivo, nos ablativo utimur tantum, ut ἐμοῦ ὀρώντος τὸν παῖδα ἔτυψας id est ‘dum ego video, puerum cecidisti’, quod nos dicimus ‘me vidente puerum cecidisti; Augusto imperatore Alexandria provincia facta est’ id est ‘cum Augustus erat imperator; Bruto defensore liberata est tyranno respublica’ id est ‘cum defensor <18.222> eius fuerat Brutus; Sulla victore perierunt Romani’ pro ‘cum victor fuerat Sulla’. in hoc autem sensu, ut ostendimus, non licet genetivo uti pro ablativo.

Illa quoque nomina, quae vim habent passivam, ablativo iunguntur: ‘lassus labore, fessus cursu, cassus lumine’, quod etiam participium potest esse. Virgilius in II Aeneidis:

Demisere neci, nunc cassum lumine lugent,

undecimo:

Cassa fraude parat;

‘orbis prole, viduus pharetra’. Horatius in carminum libro I:

puerum minaci

Voce dum terret, viduus pharetra

Risit Apollo.

Iuvenalis libro III:

Dignus morte perit, cenet licet ostrea centum;

‘vacuus cerebro, mente captus’. est tamen invenire in his quoque quaedam auctoritate veterum genetivis coniuncta. Virgilius libro XII:

Descendam magnorum haud umquam indignus avorum.

In comparationibus quoque ablativos ponimus pro genetivis, ut ‘fortior Scipio Hannibale’. licet autem et nominativum cum nominativo interposita ‘quam’ comparere, ut ‘fortior Scipio quam Hannibal’, et quod saepe superius docuimus, flexis quoque nominativis in obliquos casus eadem constructio obliquis quoque casibus servatur, ut ‘fortioris Hectore Achillis maxima virtus fuit’ et ‘Scipionis quam Hannibalis mirabilis strenuitas erat’.

Necesse est autem omnia casualia eosdem casus in eadem structura servare, sive coniungantur, quod supra dictum est, nominibus sive pro eis sint posita. et pronomina quidem loco nominum etiam per se posita inveniuntur ideo-que

constructionem eorum sibi defendunt, ut ‘gloriosus ego sum doctrina; laudabilis est ille fortitudine’; participia vero et cum nomine <18.223> et cum pronomine et per se posita constructionem tam verbi necessario sequuntur quam nominis, quia utrique cognata sunt. nominis, ut ‘Cicero accusans vicit; Ciceronis accusantis oratio valuit; Ciceroni accusanti contigit gloria; Ciceronem accusantem timuit Catilina; o Cicero accusans Catilinam patriam servasti; Cicerone accusante victus est Verres’. et eas quidem constructiones ad similitudinem nominum habent participia; verbi vero constructionem servant eius singula participia, ex quo nascuntur, et vel absolute dicuntur, hoc est intransitive, quomodo et verba, quae non egent obliquis casibus, ut ‘ambulo, sedeo, surgo: ambulans, sedens, surgens’, vel transitive, hoc est in diversas personas vel in se ipsas per reciproca, id est sui passionem, quam Graeci ἰδιοπάθειαν dicunt: ut ‘miseror tui’ vel ‘mei, miserens tui’ vel ‘mei; invideo tibi’ vel ‘mihi, invidens tibi’ vel ‘mihi; video te’ vel ‘me, videns te’ vel ‘me; potior te’ vel ‘me’ et ‘illo’ vel ‘illum’ et ‘tui’ vel ‘mei, potiens te’ vel ‘me’ et ‘illo’ vel ‘illum’ et ‘tui’ vel ‘mei’.

Et attendendum, quod nominativus, qui verbo adiungitur, immobilis casibus ipse manet et vel nullum vel eum solum assumit alterius casualis obliquum, qui verbo construitur. nullum quidem, quando absolute dicitur, [id est intransitive], ut ‘Terentius ambulat, Sallustius quiescit’, obliquum vero, quando transitive vel ἰδιοπαθῶς, [id est ‘sui passive’], ut ‘Caesar vincit Pompeium; Cicero arguit Catilinam; pater indulget filio; dominus miseretur sui’ et ‘sui servi’. ille autem nominativus, qui obliquos exigente ipsius nominis natura sibi asciscit, etiam per omnes, ut supra ostendimus, casus declinatus, eandem constructionem casuum sibi defendit, ut ‘victor Pompeii Caesar interfectus est a Bruto; victoris Pompeii Caesaris filia fuit Iulia; victori Pompeii Caesari cessit res publica; victorem Pompeii Caesarem placavit Cicero; victor Pompeii Caesar clemens fuisti; victore Pompeii Caesare Romana libertas perit’.

Sic et omnia casualia licet construere.

<18.224> Possessiva omnibus suis casibus cum genitivis aliorum bene coniunguntur, quippe vim eius ubique habentia, ut ‘pugna Troiana et Graecorum multis exitio fuit; filius Telamonius et Hesionae Teucer fuit; Terentiae et Tulliani filii misertum est; Creusae et Aeneio nato datum est regnum Latii; Hectoreum et Andromachae filium praecipitavit Vlixes; o noster et fratris amice; tua et patris tui, Herodiane, proficimus arte’.

Dativum quoque solent Romani acquisitivorum vel effectivorum cum omni casu consociare, ut ‘curae mihi est ista res, cordi, lucro, damno’: possumus enim dicere ‘cordi homo, cordi hominis, cordi homini, cordi hominem’ pro ‘iucundus, iucundi, iucundo, iucundum’.

Similiter per reliquos casus tam singulares quam plurales, quomodo et ‘frugi, mancipi, necmancipi’, qui cum sint dativi, omnibus tamen aliis casibus coniunguntur; quomodo etiam genitivi, per quos possideri vel haberi aliquid significatur, ut ‘huiusmodi, illiusmodi; magnae virtutis homo, magnae virtutis hominis, magnae virtutis homini’, similiter per ceteros casus. ita etiam ‘nihili homo, ὁ τοῦ μηδενός, nihili hominis’. similiter in eodem fere sensu figuratur

nominativus et obliqui eius cum accusativo alterius nominis, quod et supra ostendimus: ‘clarus genus, clari genus, claro genus, clarum genus, clare genus’. idem invenis et cum ablativo: ‘dignus laude, digni laude, digno laude, dignum laude’ et reliqua.

DE ORDINATIONE VERBI.

Ab infinito incipit exponere verbi ordinationem Apollonius, ostendens, hoc verbum generale esse et pro omni posse accipi modo verborum. coniungitur autem frequentius voluntativis verbis, quae Graeci προαιρετικά <18.225> vocant, ut ‘volo legere, cupio discere, desidero videre’. invenitur tamen saepissime et aliis verbis coniunctum. Terentius in adelphis:

video sapere, intellegere, in loco

Vereri, inter se amare; scire est liberum

Ingenium.

Virgilius in XI:

Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem

Consulis, o bone rex. cuncti se scire fatentur,

Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.

(nec solum nominativis, sed et accusativis et ablativis casibus ad imitationem Graecorum auctores adiungunt infinita verba, ut ‘cognitus est posse dicere’ et ‘cognitum hunc posse dicere’ et ‘cognito posse dicere’. Terentius in eunucho:

Apparet . hunc esse domini pauperis.

Sallustius historiarum V: at Lucullus audito, Q. Marcium Regem pro consule per Lycaoniam cum tribus legionibus ad Ciliciam tendere. in eodem: legiones Valerianae comperto, lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datam esse, missos esse. participiorum autem accusativi frequenter pro infinitis verbis ponuntur, ut Sallustius in quinto: † spe celebritate nominis intellego <18.226> timentem pro ‘timere’ et: video indigentem dona quaesiturum [τὸ πορίζειν] properantem pro ‘properare’; ablativi quoque eorum pro infinitis, ut in Catilinario: nam et priusquam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est pro ‘consulere’ et ‘facere’. Graeco similiter more infinita pro gerundii genetivo proferuntur.) significat autem infinitum ipsam rem, quam continet verbum. ‘currere’ enim est ‘cursus’ et ‘scribere: scriptura’ et ‘legere: lectio’. itaque frequenter et nominibus adiunguntur et aliis casualibus more nominum, ut Persius:

Sed † bonum est digito monstrari, et dicier: hic est.

Terentius in adelphis:

Quapropter te ipsum purgare ipsis coram placabilius est.

idem in eunucho:

certe extrema linea

Amare † non nihil est,

et ‘bonum est legere; utile est currere; aptum est scribere; optimum est philosophari’. quod cum aliis vocibus verbi facere non possumus, ut nomen cum substantivo verbo [id est ‘est’] eis [id est aliis modis verborum] adiungamus, significantes loco nominis ipsius rei has voces nos accipere. cum dico enim ‘bonum est legere’, nihil aliud significo nisi ‘bona est lectio’. itaque apud

Graecos etiam articulis adiungitur infinitum more <18.227> nominum. cum autem sine ‘est’ vel alio huiusmodi verbo [id est substantivo] proferam ‘bonum’ vel ‘commodum’ vel ‘utile’ vel aliud huiusmodi casuale, non ipsius verbi qualitatem, sed illius rei, in qua fit actus verbi, significo, ut si dicam ‘bonum lego’, necesse est vel carmen vel opus vel tale aliquid intellegi. nemo enim dicit ‘bonum est lego’ quomodo ‘bonum est legere’.

Nominativis quoque adiectivorum et obliquis eorum pulcherrima figura coniungitur infinitum, ut ‘fortis bellare; prudens intellegere; sapiens providere; peritus docere’ et similia. Horatius in I carminum:

et celerem sequi

Aiacem,

id est ‘celerem ad sequendum’. sic et alia.

Illud etiam in hoc modo contemplandum, quod verbis praeceptivis, quibus dativi adiunguntur, possumus et accusativos copulare infinitis consequentibus, ut ‘iubeo tibi currere’ et ‘iubeo te currere; impero tibi proficisci’ et ‘impero te proficisci; praecipio tibi legere’ et ‘praecipio te legere’. sic et similia. sciendum tamen, quod in hoc sensu frequenter invenimus pro infinito verbo subiunctivum poni, ut ‘iubeo facias; iubeo dicas; impero venias; hortor legas’, in quibus deest ‘ut’, quod licet vel addere vel non.

Verborum quoque omnibus modis et participiis possunt coniungi, ut ‘amo discere, ama discere, utinam amarem discere, cum amaverim discere, amare discere prodest, amans discere’. similiter ‘intellego sentire, intellege sentire, utinam intellegerem sentire, cum intellexerim sentire, intellegere filium sentire cupio’, [Horatius carminum II:

† dedocet uti

† Falsis vocibus];

participio etiam ‘volo intellegens sentire’. sic omnia.

Est tamen frequenter invenire, nomina pro adverbis totius verbi declinationi bene accommodari, ut ‘sublime volo, sublime volas, sublime volat’. igitur a constructione quoque vim rei verborum, id est nominis, quod significat ipsam rem, habere infinitum possumus dinoscere, res autem <18.228> in personas distributa facit alios verbi motus. quid est enim aliud ‘curro, curris, currit’ nisi ‘cursum ago, agis, agit’? itaque omnes modi in hoc [id est infinitum] transsumuntur sive resolvuntur, ut ‘ambulo: indico me ambulare; ambula: impero te ambulare; utinam ambularem: opto me ambulare; cum legam, ambulo: dico me prius legere, post ambulare’. itaque apud Graecos quidem pro imperativo ponitur, apud nos autem pro praeterito imperfecto. et apud illos tamen et apud nos hoc fit per figuram ellipseos, id est defectionis; ‘gaudere’ enim dicunt pro ‘gaude’, et subauditur ‘iubeo’ vel ‘volo’ vel ‘opto’. sic enim antiqui ‘gaudere te iubeo’ pro ‘gaude’. Terentius in adelphis:

gaudere Hegionem plurimum

Iubeo

pro ‘gaude, Hegio, plurimum’. sic ergo et apud nos, cum imperfectum sit ‘dicere coepi’ pro ‘dicebam’, ‘scribere coepi’ pro ‘scribebam’, per ellipsin verbi ‘coepi’ solent auctores proferre infinita, ut Terentius in Andria:

ego illud sedulo

Negare factum,
deest enim ‘coepi’: negare pro ‘negabam’. nec mirum infinita, quae cognationem habent ad omnes modos, pro quibusdam eorum poni, et maxime pro defectivis, cum sint et ipsa defectiva. et imperativus enim deficit tam personis quibusdam quam temporibus et praeteritum imperfectum actu ipso deficit, quippe semiplenum eum significans, et infinita deficiunt numeris et personis, cum etiam alios modos pro aliis invenimus ab auctoribus proferri, ut:

Musa mihi causas memora

et:

Dicite Pierides

imperativa pro optativis, et contra optativa vel subiunctiva vel indicativa pro imperativis, ut Terentius in eunucho:

<18.229> † ah nihil tibi quicquam credo. – Desinas

pro ‘desine’. Virgilius in IIII georgicon:

Sin duram metues hiemem parces-que futuro,

Contusos-que animos et res miserabere fractas

pro ‘parcito’ et ‘miserator’. idem in bucolico:

Alternis dicetis, amant alterna Camenae,

dicetis pro ‘dicite’. Horatius epistularum I:

Si te forte meae gravis urat sarcina chartae,

Abicito potius quam quo perferre iuberis

Clitellas ferus inpingas

pro ‘impingito’. in eodem:

Viribus uteris per clivos, flumina, lamas:

Victor propositi simul ac perveneris illuc,

Sic positum servabis onus

pro ‘servato’, quomodo uteris pro ‘utitor’. in eodem:

Inter cuncta leges et percontabere doctos

pro ‘legito’ et ‘percontator’. Graeci quoque frequenter hoc utuntur, modos verborum pro modis ponentes, de quibus in Atticismis, quibus Romani quoque utuntur, post ostendetur.

DE IMPERSONALIVM CONSTRUCTIONE.

Impersonalia activam terminationem habentia infinitis coniunguntur, ut ‘placet discere, licet dicere’; similiter ‘oportet, delectat, libet, decet, liquet, vacat, contingit, accidit, evenit, iuvat’. Virgilius in I Aeneidis:

Et vacat annalis nostrorum audire laborum.

<18.230> idem georgicon II:

iuvat arva videre

Non ullis hominum, non ulli obnoxia curae.

possunt tamen et casibus coniungi: dativo quidem ‘placet mihi, licet mihi, liquet mihi, libet, vacat, contingit, accidit, evenit’, accusativo vero ‘iuvat me, delectat me, decet me, oportet me’, accusativo simul et genetivo ‘paenitet me illius rei, pudet me illius rei, miseret me illius rei, taedet, piget’; licet tamen et per ellipsin dativi dicere ‘placet me facere, licet te currere, vacat te audire’ vel etiam ipsius

accusativi, ut ‘placet discere, vacat audire, miseret, pudet’ et similia; sciendum tamen, quod, si ab aliis sint verbis activis vel neutris, eorum constructionem servant, ut ‘placeo tibi, placet tibi; contingo tibi, contingit mihi; evenio illi, evenit mihi; iuvo illum, iuvat illum’; quae vero non habent primas vel secundas personas, quae sunt admodum pauca, vel dativo, ut ‘licet mihi, libet mihi’, vel accusativo, ut ‘oportet illum scire’, quomodo ‘decet’ [nam ‘deceo illum’ non dicimus]. ‘debet’ quoque impersonale accipitur, quando infinito passivam vim habenti coniunctum tres circumit personas, cum maxime subiunctivum verbum consequitur, ut ‘debet fieri a me, a te, ab illo, ut auctores legantur’. sed si quis et haec et omnia impersonalia velit penitus inspicere, ad ipsas res verborum referuntur et sunt tertiae personae, etiam si prima et secunda deficiant: quod etiam in libris de verbo ostendimus. unde et participia inveniuntur: ‘curritur, cursus’, hinc

† decurso spatio

Terentius in adelphis. sunt alia, ut diximus, quae adiunguntur genetivo et accusativo, ut ‘pudet me illius rei, taedet, piget, miseret, paenitet’. infinitis quoque tamen haec eadem coniuncta accusativum solum assumunt, ut ‘pudet me discere’. Terentius tamen novo more in adelphis secundum Graecos dixit:

<18.231> quem neque pudet

Quicquam.

idem in eodem:

ei mihi,

Non te haec pudent?

hoc etiam sciendum, quod tria quidem habent praeteritum supra dictorum quinque impersonalium, ‘paenituit, pudit, piguit’, duo vero participia more neutropassivorum, ‘misertum’ et ‘pertaesum’, cuius simplex in usu non est, quamvis ‘taedium’ dicatur.

Quae vero passivam habent terminationem impersonalia, non possunt infinitis adiungi, ut ‘statur, curritur, sedetur’, et intransitive intelleguntur, ut Virgilius in VII:

bellatur comminus armis

pro ‘bellant’. idem in VI:

Itur in antiquam silvam

pro ‘eunt’. nam si addidero nominativum, ‘bellatur gens’, transitio fit ab alia ad aliam personam et incipit esse passivum, quamvis Apollonius in III περι συντάξεως ostendit, in impersonalibus etiam posse intellegi nominativum ipsius rei verborum, his verbis: ‘μέλει Σωκράτη’, ὅπερ ἐπινοῶ καὶ αὐτὸ ἀναδέχεσθαι νοουμένην εὐθείαν τὴν κατὰ τοῦ παρυφισταμένου πράγματος ἐν τῷ ‘μέλει’. ex hoc possumus attendere, quod impersonalia similiter omnia, quibus nos frequenter utimur, quae ipsa quoque ab huiusmodi verbis Graecorum, id est μέλει, δεῖ, χρή, accepimus, teste sapientissimo domino et doctore meo Theoctisto, quod in institutione artis grammaticae docet, possunt habere intellectum nominativi <18.232> ipsius rei, quae in verbo intellegitur. nam cum dico ‘curritur: cursus’ intellego et ‘sedetur: sessio’ et ‘ambulatur: ambulatio’ et ‘evenit: eventus’; sic et similia. quae res in omnibus

verbis etiam absolutis necesse est ut intellegatur, ut ‘vivo vitam’ et ‘ambulo ambulationem’ et ‘sedeo sessionem’ et ‘curro cursum’.

Infinita vero impersonalium necesse est ut ablativum pronominis vel nominis vel participii ad perfectam significationem assumant, ut ‘stari a me volo’ pro ‘stare volo’; ‘curri a te vis’ pro ‘currere vis’; ‘sederi a se vult’ pro ‘sedere vult’. nam passiva non egent ablativo casu, nisi sint transitiva, ut ‘legi volo’, ἀναγινώσκεισθαι βούλομαι: en hic passivum est intransitive dictum; sin dicam ‘legi a me volo’, similiter intransitive activam habet significationem et est infinitum impersonalis: nam pro ‘legere volo’ accipitur; sin autem transitive proferatur, hoc est ut ab alia in aliam personam passio fieri significetur, etiam si ablativo adiungatur, passivi est infinitum, ut ‘doceri a me cupis; amari a te cupio’. hanc autem constructionem servant etiam reciprocationes [id est sui passiones], ut ‘amari a memet ipso debeo; vituperari a te ipso debes’ et similia. possumus tamen et impersonale simili modo proferentes dicere ‘amari a me vis’ pro ‘amare me vis’, de quibus iam diximus. sed hoc quoque interest, quod infinitum impersonale in infinitum resolvitur activum: ‘amari a me volo’ pro ‘amare volo’, quomodo ‘ambulari a me volo’ pro ‘ambulare volo’; sin in significatione passiva proferantur, necesse est etiam accusativum subaudiri, ut ‘amari a me volo illum’. hoc quoque sciendum, quod impersonalia, quae accusativo simul casui et genetivo copulantur, ut ‘pudet me tui’, similiter ‘paenitet, taedet, miseret’, accusativo quidem significant personam, in qua fit passio, genetivo vero illam, ex qua fit. nec est mira huiusmodi ordinatio, cum in eosdem casus resolvitur: est enim ‘pudet <18.233> me tui: pudor me habet tui; taedet me tui: taedium me habet tui; paenitet me tui: paenitentia me habet tui; miseret me tui: miseratio me habet tui’. infinita vero verbi sui constructionem ad casus servant, ut ‘misereror tui, misereri tui volo; noceo tibi, nocere tibi volo; accuso te, accusare te volo; potior illa re’ et ‘illius rei’ et ‘illam rem, potiri illa’ et ‘illius’ et ‘illam rem volo’.

Similiter eisdem casibus adiunguntur participialia vel supina, quae vim infinitorum habent, quae cum articulis construuntur apud Graecos: ‘miserendi tui causa facio, miserendo tui moveor, miserendum tui est, miseritum tui venio, miseritu tui doleo; nocendi tibi causa facio, nocendo tibi proficio, nocendum tibi est, nocitum tibi propero, nocitu tibi gaudet’ pro ‘in nocendo tibi’. similiter alia: ‘dignandi praemio, dignando praemio, dignandum praemio, dignatum praemio, dignatu praemio’.

Sciendum tamen, quod praepositiones frequenter ante supra dicta in ‘dum’ vel in ‘de’ desinentia ponuntur: ex quo magis nomina esse ostenduntur, nisi quod in metro in o terminatio more verborum etiam corripitur, ut Iuvenalis in I:

Plurimus hic aeger moritur vigiland□, sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus et haerens
Ardenti stomacho.

Alphius Avitus in II excellentium:

Spatiand□ paulatim trahit,
est enim dimetrus iambicus. de quibus plura diximus de verbo tractantes.

Illa quoque nomina in ‘dus’ desinentia verbalia frequentissime et maxime in obliquis casibus pro infinitis accipiuntur, cum articulis apud Graecos copulatis. sed hoc intersunt gerundiis, quod genera et casus et numeros nominum, quibus coniunguntur, servant. Cicero in I invectivarum: <18.234> nihil hic munitissimus habendi senatus locus. similiter dicimus ‘legendi Virgilii causa vigilo, legendo Virgilio vigilo, legendum Virgilium puto, ad legendum Virgilium venio, in legendo Virgilio laboro’; feminino similiter ‘celebrandae virtutis gratia scribo’ et pluraliter ‘invocandarum Musarum gratia scribo’. gerundia vero eisdem terminationibus et genera diversa et casus verbo suo congruos tantum et utrosque numeros sibi coniungunt, ut ‘legendi Virgilium’ et ‘Musam’ et ‘Musas’; similiter ‘legendo Virgilium, legendo Musas’; et ‘legendum est mihi Virgilium’ et ‘Musas’.

Omnia verba transitiva vel genetivo vel dativo vel accusativo vel ablativo adiunguntur, ut ‘egeo tui, insideor tibi, metuo te, fruor illa re’. ergo si coniungantur duo verba, quorum alterum sit infinitum, eosdem casus asciscentia, fit dubitatio, ut ‘misereri tui eget animus mei’: cum enim utrumque verbum genetivo soleat iungi, dubium est, cuius animus misereatur vel egeat. similiter per dativos ‘male dicere tibi placet mihi’ et per accusativos ‘cupio te vincere me’ et per ablativos ‘dignor gloria potiri laude’. dubium est enim, cum utriusque casus similes sint et utriusque verbo congrue possint aptari, quis cui reddatur. et aptius quidem est priori casui prius sociari verbum. sed auctores frequentissime hyperbatis, id est transitionibus, utuntur, ut:

Aio, te, Aeacida, Romanos vincere posse;
est enim ordo [te Aeacida] ‘Romani te possunt vincere’, quod et naturaliter passiones secundae sunt actionum et actio in Romanis, passio vero in <18.235> Pyrrho significatur. sed aptissimum maxime fuit responso, etiam in confusione ordinis propriam oraculi obliquitatem servare; quamvis et apud omnes auctores huiusmodi figura latissime pateat.

Omnibus modis aliis potest infinitum coniungi verbum, ut ‘studeo legere, stude legere, utinam studerem legere, cum studeam legere’, et infinitum infinito, ut ‘video filium studere legere’. participiis quoque coniungitur: ‘studens legere’, participialibus etiam vel supinis, ut ‘causa spectandi currere equos ascendo, circumspectando currere equos delector, spectandum est currere equos, spectatum currere equos eo, iucundum est spectatu currere equos’. et nominibus tamen pulchra sociatur figura idem infinitum: ‘bonus iudicare, fortis bellare, prudens intellegere, iustus disceptare’. Virgilius in bucolico:

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus?

DE INDICATIVIS.

Indicativus, quia essentiam plerumque ipsius rei significat, hoc nomine nuncupatur. ideo autem diximus ‘plerumque’, quia invenitur saepissime etiam dubitativus vel interrogativus, ut Terentius in Phormione:

Sic sum: si placeo, utere;

ut Virgilius in III:

Pro quo si sceleris tanta est iniuria nostri.

in eodem:

Hectoris Andromache Pyrrhin' conubia servas?

idem in eodem:

Vera-ne te facies, verus mihi nuntius affers?

<18.236> Nate dea, vivis-ne, aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est?

itaque oportune aptatur adverbis vel coniunctionibus affirmativis vel causalibus, quae substantiam vel essentiam rei comprobant, vel abnegativis, quae eam abnuunt, ut Virgilius in III:

Vivo equidem vitam-que extrema per omnia duco.

Sallustius in Catilinario: verum enimvero is demum mihi vivere ac frui anima videtur. et per abnegationem Virgilius in II Aeneidis:

Non tibi Tyndaridis facies invisita Lacaenae
Culpatu-ve Paris, divum inclementia, divum,
Has evertit opes.

et inveniuntur quidem etiam cum aliis modis supra dicta adverbia vel coniunctiones, frequentius tamen indicativo sociantur. iste autem modus est oportunus ad planam rerum expositionem, ut Virgilius in II Aeneidis:

fuius Troes, fuit Ilium et ingens

Gloria Dardanidum, ferus omnia Iuppiter Argos

Transtulit, incensa Danaei dominantur in urbe;

unde hoc modo frequentissime utuntur historici. cuicumque autem casui indicativi iungantur, necesse est ceteros quoque modos coniungi, de quo postea dicetur.

DE IMPERATIVIS.

Imperativa primas personas singulares non habent, quia nemo sibi ipse potest imperare, nisi figurate quasi ad alium loquens in secunda persona se ipsum proferat, ut Iuvenalis in I:

tecum prius ergo voluta

Haec, anime, ante tubas;

<18.237> et Terentius in adelphis:

Edepol, Syrisce, te curasti molliter.

pluralis vero numerus apud nos habet omnes personas. potest enim per connumerationem aliquis sese illis, quibus imperat, adiungere, ut dux suos milites iubens committere proelium aptissime dicit 'pugnemus, conflagamus'. Graeci tamen ea ὑποθετικά nominant, id est hortativa, dicentes, quod quasi ad similes et socios huiusmodi verba solent dici, imperativa vero ad subiectos ab eminentioribus, quod minime est verum, cum etiam ad deos frequentissime imperativo modo in supplicationibus et invocationibus utimur, ut ad reges quoque et imperatores, ut:

Musa, mihi causas memora,

et:

Pandite nunc Heliconae, deae, cantus-que movete.

ergo multo aptius est eo uti ad pares, cum ad excellentiores tam in frequenti est usu. et sciendum, quod ad secundam personam sermo dirigitur imperantis,

cuicumque imperat personae. nam qui dicit ‘pugnemus fortiter, o commilitones’, cum vocativo utitur, ad secundam loquitur personam; nam connumerando sese eis, cum sit usus voce primae personae pluralis, ostendit paratissimum se quoque esse ad idem quod illis imperat [ad efficiendum]; et qui dicit ‘pugnet exercitus’, imperat, ut internuntia secunda persona efficiatur per tertiam, quod imperat. est tamen quando significantiae causa imperativis adiunguntur subiunctiva: ‘vigila, ut legas’, id est ‘diligenter legendo vigila’. Cicero in III invectiviarum: cura, ut vir sis. Terentius in Andria:

<18.238> † fac, ut ad me venias.

‘eia’ et ‘age’ adverbium hortativa aptissime imperativo coniunguntur. Virgilius in III Aeneidos:

Eia age rumpe moras, varium et mutabile semper
Femina.

idem in VI:

Nunc age, Dardanium prolem quae deinde sequatur
Gloria, qui maneat Itala de gente nepotes,
Expedit dictis et te tua fata docebo.

deest enim ‘veni’ vel ‘audi’. etiam si secum ipse loquens et sese hortans aliquis hoc utatur figurate, quasi ad secundam loquitur personam.

Inveniuntur tamen auctores et indicativis et optativis et subiunctivis uti pro imperativis, quomodo supra ostendimus. et Graeci quidem habent imperativa praeteriti temporis, nos autem in activis vel neutralibus verbis penitus ea habere non possumus, in passivo vero et omnibus, quae habent participia praeteriti temporis, per circumlocutionem possumus habere, ut ‘doctus es’ vel ‘esto’, δεδίδαξο, ‘doctus sit’ vel ‘esto’, δεδιδάχθω; ‘ornatus es’ vel ‘esto’, κεκόσμησο, ‘ornatus sit’ vel ‘esto’, κεκοσμήσθω, ‘ornati sint’ vel ‘sunto’, κεκοσμήσθωσαν. similiter ‘veneratus sit’ vel ‘esto; placatus sit’ vel ‘esto, clausus sit’ vel ‘esto, secutus sit’ vel ‘esto’; et per omnes sic personas ‘secuti simus, sitis, sint’ imperative dicta inveniuntur, cum sint praeteriti temporis: sed hanc vim habent, ut imperemus, ut in futuro sint transacta, ut si dicam ‘clausa sit mox fenestra’, impero, ut statim claudatur et mox sit clausa, vel si dicam ‘post horam primam finitam sit iuratus’, ostendo me imperare, ut iuret ante horam primam finitam.

<18.239> Illud etiam monendum, quod imperativa verba vocativis adiuncta nominum perfectionem orationis habent, ut ‘Apolloni doce, Trypho disce’ nominativi enim egent substantivis verbis et nominibus similiter substantiam significantibus relativis, ut ‘qui es Apollonius doces, qui es Trypho discis’. Graeci autem participio utuntur substantivo: Ἀπολλώνιος ὦν διδάσκεις, Τρύφων ὦν μανθάνεις, quo nos quoque secundum analogiam possemus uti, nisi usus deficeret participii frequens. quamvis Caesar non incongrue protulit ‘ens’ a verbo ‘sum, es’, quomodo a verbo ‘possum, potes: potens’. [et per ellipsin tamen supra dictorum invenimus nominativos, ut ‘laetus cogito, paratissimus cogitas, Cicero iustus defendit’ et similia.]

DE OPTATIVIS.

Optativa verba indicant per se cum re et votum, adverbium vero ‘utinam’ tantum votum significat. ad ampliorem igitur demonstrationem additur verbis optativis, quomodo et confirmativa adverbia indicativo, ut ‘profecto facio, certe lego, scilicet intellego’. et apud Graecos quidem αἴθε, id est ‘utinam’, adverbium non solum optativo, sed etiam indicativo adiungitur modo et facit id loco optativi accipi, ut Homerus:

Αἴθ' ὄφελος παρὰ νηυσὶν ἀδάκρυτος καὶ ἀπήμων
ἦσθαι.

idem:

Αἴθ' οὕτως ἐπὶ πᾶσι χόλον τελέσει' Ἀγαμέμνων,
apud nos tamen ‘utinam’ indicativo non adiungitur. et Graeci quidem, maxime Attici etiam sine deprecatione solent hoc modo uti pro indicativo, nos vero minime, quamvis similes sint eius voces subiunctivi vocibus, quibus frequentissime pro indicativis utuntur auctores nostri. optativa autem <18.240> praeteritum ideo habent, quamquam ea debeamus orare, quae nondum fuerint, quia saepe evenit abesse eos, pro quibus oramus et optamus, ut id illis iam perfectum sit, quod cupimus, ut ‘utinam filius meus, qui Athenis est, doctus esset’ vel ‘fuisset’, id est ‘utinam perfecta in ipso doctrina sit, utinam cognoscamus id illi evenisse’. est autem quando optativo utimur praeteriti temporis, dolentes, quod non factum sit, ut ‘utinam homines contra se ferrum non movissent, utinam mare numquam navigassent’ et similia. ‘o’ etiam adverbium et ‘si’ coniunctio et ‘ut’ pro ‘utinam’ invenitur. Virgilius in VIII:

Adsis o tantum et propius tua numina firmes.

idem in VI:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto;

et Terentius in eunucho:

Vt illum di deae-que omnes, superi inferi,
Malis exemplis perdant.

[et per se tamen verbum optativum saepe ponitur sine praedictis particulis, ut Lucanus in I:

di visa secudent

Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

<18.241> et nota, quod subiunctivo simile protulit praeteritum perfectum optativi, quod et multis placuit artium scriptoribus.]

DE SUBIUNCTIVO.

Subiunctivus et ‘dubitativus’ dicitur: ‘subiunctivus’, vel quod subiungitur coniunctioni vel quod alteri verbo omnimodo vel subiungitur vel subiungit sibi alterum, ut Virgilius in bucolico:

Cum faciam vitulam pro frugibus, ipse venito.

idem in III Aeneidos:

Inter utramque viam leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus, certum est dare lintea retro.

et sciendum, quod necesse est alteri modo eum sociari vel eiusdem modi alteri verbo, etiam si sit cum infinito, ut ‘cum doceam legere discipulum, expono ei’ vel ‘cum docerem legere, exponerem’ et similia. omnibus igitur modis potest sociari, ut ‘si doceam, discis’ et ‘si doceam, disce; utinam discas, si doceam; cum doceam, discas’. similiter omnibus modis impersonalis quoque verbi potest coniungi, ut ‘cum veniam, curritur’ et ‘cursum sit’ et ‘curratur’ et ‘cursum erit’ et similia. frequentissime tamen ‘si’ coniunctio dubitationem significans ei sociatur, id est pro εἰν Graeca coniunctione posita, ut Terentius in adelphis:

Si tu sis homo,

Hic faciet.

cum vero εἰ coniunctionem Graecam significat, quae apud illos συναπτικός nominatur, id est coniunctiva, quod rem rei continuari demonstrat, indicativo coniungitur, ut ‘si vivit, spirat’ et ‘si spirat, vivit; si ambulat, movetur’. in hoc non possumus reciproce dicere ‘si movetur, ambulat’: non enim qui movetur omnimodo et ambulat, qui ambulat vero, omnimodo et movetur. invenitur autem ea coniunctio apud Graecos [id est εἰ] non <18.242> solum indicativo, sed etiam optativo et maxime apud Atticos et subiunctivo sociata, ut Homerus:

Ἄρσαντες κατὰ θυμόν, ὅπως ἀντάξιον ἔσται·

Εἰ δέ κε μὴ δώωσιν

(pro εἰν μὴ δώωσιν), subiunctivum posuit; idem:

Ἄλλ’ εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί

(εἰ δέ κε μὴ δώωσιν pro εἰν μὴ δώωσιν), indicativo usus est pro subiunctivo et εἰ pro εἰν; Demosthenes vero in oratione παραπρεσβείας: τῶν ξενίων εἰ μετὰσχοιεν, optativum protulit, qui mos Atticis est frequentissimus. Xenophon ἀπομνημονευμάτων primo: εἴ τις ἀρετὴν ἐπαγγελλόμενος ἀργύριον πρᾶττοιτο. nostri quoque frequentissime Atticos imitantur et subiunctivos sive optativos – nam eadem sunt voces – non solum cum supra dictis coniunctionibus, sed etiam sine his ponunt, quando confirmative vel dubitative quid proferunt, in quo Graeci ἄν vel ἄρα solent adicere. nihil mirum igitur, ‘si’ coniunctionem apud nos, quae tam pro εἰν Graeca coniunctione, quae causalis est vel perfectiva, quam pro εἰ, quae coniunctiva est, ponitur, utriusque constructionem, quam <18.243> habent apud Graecos supra dictae coniunctiones, ad verba servare, ut et indicativo et optativo et subiunctivo possit adiungi. indicativo, ut Virgilius in VIII:

Si, tibi quae posco, promittunt – nam mihi facti

Fama sat est.

Terentius in Phormione:

Sic sum; si placeo, utere;

optativo [Virgilius] in VI:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus

Ostendat.

subiunctivo Terentius in Phormione:

Si attigisses, ferres infortunium.

sed indicativo saepe coniunctum ostendit magis confirmari et credi rem sic esse vel fieri posse quam dubitari. Virgilius in II Aeneidis:

Di, si qua est caelo pietas,
confirmative enim potius quam dubitative dicitur. idem in VIII quod supra dictum est:

Si, tibi quae posco, promittunt – nam mihi facti
Fama sat est –, tumulo videor reperire sub illo
Posse viam,

credit enim facile promissuros. Terentius in Andria:

id si inpetro,

Quid alias malim quam hodie has fieri nuptias?
hic enim quoque sperat se impetraturum. idem in eadem:

Sed si quid tibi narrare coepi, continuo dari

Tibi verba censes.

et est hoc loco etiam illud attendendum, quod praeteritum indicativi cum praesenti solent coniungere, quando perfectionem rei res sequitur alterius altera. et in illius quidem, quae prior perficitur, significatione perfecto <18.244> utuntur, praesenti vero in consequentis demonstratione, ut hic:

si quid tibi narrare coepi, continuo dari

Tibi verba censes.

idem in eunucho:

Quae vera audivi, taceo et contineo optime,
Sin falsum aut vanum aut fictum est, continuo palam est,
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

idem in Andria:

Si te in germani fratris dilexi loco
Sive haec te solum semper fecit maximi
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.

Lucanus in I:

nec si te pectore vates

Accipio, Cirrhaea velim secreta moventem
Sollicitare deum.

indicativo enim usus comprobatur hoc fieri et velim subiunxit promittens, cum hoc sit, posse minime egere Apolline, quod Graeci οὐκ ἂν βουλοίμην dicunt, id est ‘nolim penitus’. Terentius in Phormione:

si placeo, utere,

absque dilatione ostendit hoc faciendum. idem in eunucho:

si dis placet,

Spero me habere, qui hunc excruciem meo modo,
rem enim, quam sperat, firmam esse ostendit; si enim dixisset ‘si dis placeat’, dubitare se ostendisset. idem in Andria:

<18.245> Si illum relinquo, eius vitae timeo; sin opitulor, huius minas;
utrumque enim sibi certum esse ostendit. idem in adelphis:

Ego in hac re nihil reperio, quam ob rem lauder tantopere, Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est, corrigo,
Nisi si me ex illo credidisti esse † numero hominum, qui ita putant,
Sibi fieri iniuriam ultro, si quam fecere ipsi expostulent.

ecce hic nisi credidisti dixit pro 'credis'. similiter indicativis utuntur, quando in ipsis esse vel fuisse rebus aliquid volunt ostendere, ut Cicero de praetura urbana: qui si condemnatur, desinent homines dicere, his iudiciis pecuniam plurimum posse; sin absolvitur, desinemus nos de iudiciis transferendis dubitare. Virgilius in VI:

Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
It-que redit-que viam totiens,

de rebus, quas sine dubio factas esse vult ostendere, indicativis est usus cum supra dicta 'si' coniunctione. quando vero dubia res ostenditur, utrum fieri possit necne, vel per inductionem, id est καθ' ὑπόθεσιν, subiunctivis magis utuntur. Virgilius in VIII:

Sed si quis, quae multa vides discrimine tali,
<18.246> Si quis in adversum rapiat casus-ve deus-ve,
Te superesse velim.

idem in bucolico:

si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore legat.

Cicero tamen: si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur, additione forte cum indicativo est usus loco subiunctivi cum dubitatione positi. Terentius in Andria:

Si eveniat, quod di prohibeant, † discidium.

Cicero in I invectivarum: si te parentes timerent atque odissent tui. nec aliter possunt suppositiva sive inductiva, quae ὑποθετικά Graeci vocant, proferri nisi per subiunctivum. idem in eodem: nunc intellego, si iste, quo intendit, in Malliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat, coniurationem esse factam, 'ὅς οὐκ ἂν εἶδῃ' ἢ 'οὐκ ἄρα εἶδείη', affirmative dixit. idem in II: et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint, βούλοιτο ἄρα: hoc quoque affirmative dixit. similiter Virgilius in VIII:
similis si cura fuisset.

idem in XI:

Esset par aetas et idem si robur ab annis.

est tamen quando etiam in dubiis utuntur indicativo cum 'si' coniunctione, ut Virgilius in VIII:

aut si qua id fortuna vetabit,
<18.247> Absenti ferat inferias,

vetabit pro 'vetet' dixit metri causa. nam in eodem sensu subiunctivo est usus:

Si quis in adversum rapiat casus-ve deus-ve.

est tamen quando per defectionem 'si', quomodo etiam 'ut', subiunctiva proferuntur et subaudiuntur supra dictae coniunctiones, ut Iuvenalis in I:

Graeculus esuriens in caelum, iusseris, ibit
pro 'si iusseris'. Statius in II Thebaidos:

mutatos-que velint transumere cultus,
Et Pallas deceat pharetras et Delia cristas

pro 'si velint'. Virgilius in VI:

tu quoque magnam

Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes,
deest 'si'. Horatius in I carminum:

sapias, vina liques

pro 'si sapias'. et sciendum, quod, quomodo apud Graecos τὸ 'ἐάν' subiunctivo, τὸ 'εἰ' vero et indicativo et optativo et subiunctivo invenitur coniunctum, sic et apud Latinos 'si' coniunctio, quae utrumque demonstrat, quando consequentiam significat, sine dubio indicativo adiungitur, ut 'si ambulat, movetur; si vivit, spirat', quando autem causalis est, magis subiunctivo; est tamen, quando et indicativo consociatur, ut 'si doceam, disce' vel 'discis' vel 'discas' et 'disces', et 'si prodest tibi, fac' et 'facis' et 'facias' et 'facies'.

Iste igitur modus, id est subiunctivus, ut breviter vim eius colligam, apud Latinos est quando dubitationem, est quando comprobationem, est quando possibilitatem significat, in qua sunt etiam illa, quae [ὑΠΟΘΕΤΙΚΩΣ] suppositive inducuntur: dubitationem, ut Virgilius in III Aeneidis:

<18.248> Eloquar an sileam? gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo.

idem in I:

O quam te memorem, virgo, namque haut tibi vultus
Mortalis,

εἴποιμι ἄρα, et Terentius in eunucho:

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accersor ultro? an potius ita me conparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

approbationem, ut Virgilius in IIII Aeneidis:

Si mihi non animo fixum immotum-que sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit,
Si non pertaesum thalami taedae-que fuisset,
Huic uni forsitan potui succumbere culpae,

fuisse εἰγεγόνει ἄρα. et notandum, quod et forsitan dubitationis adverbium et potui possibilitatis verbum cum infinito posuit, pro quibus sufficeret, si subiunctivum posuisset 'huic uni succubuissem culpae'. docuit igitur poeta, quae sit vis subiunctivi possibilitatem significantis. idem in eodem:

Set mihi vel tellus optem prius ima dehiscat
Ante, pudor, quam te violo,

optem, εὐχολίμην ἄν, affirmative dixit. in eodem:

sese interea quando optima Dido

Nesciat et tantos rumpi non speret amores,

<18.249> nesciat et non speret affirmative dixit. similiter Cicero in principio Verrinarum: si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in causis iudiciis-que publicis ita sim versatus, ut defenderim

multos, laeserim neminem, ita sim dixit non dubitans, sed approbans, οὕτως ἄρα ἀναστραφείς εἶην.

Sciendum tamen, quod tam ‘ut’ coniunctione causali quam ‘si’ sequentibus cum verbis subiunctivis vel antecedentibus, etiam antecedentia vel sequentia quoque frequentissime per subiunctivum modum proferre solent Romani, et maxime ‘qui’ adiuncto vel ‘quae’ vel ‘quod’ rationem colligentes vel dubitationem ostendentes, ut ‘rogabam, ut te ostenderes qui fueris’ et ‘placebas, si diceres quod feceris’, quod per ἄρα coniunctionis additionem solent Graeci significare. Virgilius in VI:

Quem socium exanimum vates, quod corpus humandum
Diceret,

λέγοι ἄρα. Cicero in invectivarum II: quaesivi a Catilina, nocturno conventu apud M. Laecam fuisset necne? ἐγγέρονει ἄρα: hic interrogative protulit. Virgilius in III:

Eloquar an sileam?

ἢ ἄρα σιωπήσω; dubitative posuit. Horatius in I carminum:
cur apricum

Oderit campum, patiens pulveris atque solis,
oderit, μισήσοι ἄρα, quamvis idem sit etiam indicativi futurum. Cicero <18.250> invectivarum II: cum ille homo audacissimus conscientia convictus primo reticuisset, patefecit cetera, quid ea nocte egisset, ἐπεπράχει ἄρα, quid proxima constituisset, διετετυπώκει ἄρα, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, ἦν ἄρα διαγραφείς ὁ λογισμός, omnia affirmative dixit. idem in praetura Siciliensi: quare cuiusmodi putamus esse illa, quae negat, cum haec tam improba sint, quae fateatur? Graece enim hoc quoque interpretantes dicimus ἄπερ ἄρα ἀρνείται, ratione colligentes confirmantes-que quod dicitur. idem in eodem: hoc postulatum de statu ridiculum esse videatur, qui rem sententiam-que non respiciat, οὐκ ἄρα κατίδοι. Terentius in Phormione:

Ita fugias, ne praeter casam, quod aiunt,

οὕτως ἄρα φύγῃς. idem in Andria:

Quae sit rogo,

τίς ἄρα ἐστίν; in eadem:

Quam timeo, quorsum evadas,

ποῖ ἄρα ἀποβῆς;

Nam si illum obiurges, vitae qui auxilium tulit,

Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?

τί ἂν ποιῆς ἐκείνῳ, ὃς ἄρα δεδωκὼς ἦ ζημίαν ἢ κακόν;

<18.251> Ἄν quoque Graeca coniunctio quotiens apud Graecos ponitur possibilitatem significans, quae apud illos indicativi quidem modi vel praeterito imperfecto vel ἀόριστῳ – quem nos non habemus, nisi quod pro eo et pro παρακειμένου praeterito perfecto utimur – et plusquamperfecto adiungitur, optativis autem omnibus, quippe coniunctis cum supra dictis tribus temporibus – praesens enim optativum et praeteritum imperfectum idem est, et praeteritum perfectum et plusquamperfectum, et futurum et ἀόριστον quod vocant tempus – coniungitur—, nostri ergo quoque in omnia illos sequentes, quando

possibilitatem demonstrare volunt, optativis sive subiunctivis utuntur verbis, ut Terentius in Phormione:

Neque defetiscar usque adeo experirier,
Donec tibi id quod pollicitus sum effecero,

οὔτε ἔξατονήσοιμι ἄν. sic ergo quod illi solent et per indicativum et per optativum facere addentes ἄν coniunctionem Graecam, nos subiunctivis per se positis solemus demonstrare: ‘docuissem, si discere voluisses’, ἐδίδαξα ἄν, εἰ μαθεῖν ἠθέλησας, id est ‘poteram docere’. similiter ‘docerem, si discere velles’, id est ‘docere poteram’. et praeteritis quidem utentes ostendimus, rem, quae potuisset facta esse, non esse factam; praesenti vero vel futuro subiunctivo utentes in huiusmodi constructione ostendimus, posse fieri aliquid, nisi quid impediatur, ut ‘doceam, si velis’, id est ‘possum docere, si voluntas tua non impediatur’; similiter in futurum ‘docuero, si volueris’, id est ‘potero docere, si volueris’. Horatius in I carminum:

<18.252> Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit?

pro ‘scribere potuerit’.

Illud quoque sciendum, quod, quotiens paenitere nos rei non factae demonstrare volumus, subiunctivo utimur, ut Virgilius in III Aeneidos:

faces in castra tulissem,

Implessem-que foros flammis natum-que patrem-que
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem,

id est ‘cur faces in castra non tuli, quod debui facere? cur non implevi foros flammis? cur non natum patrem-que extinxi et supra memet ipsa dedi?’ potest tamen et hoc possibilitatis esse. ostendit enim, se potuisse, nisi demens fuisset, haec facere ideo-que se paenitere. quod autem Atticum morem sequentes his utuntur, necessarium esse existimo, illorum etiam auctoritate hoc comprobare. Plato in Alcibiade II: πάντας οὖν ἂν φάντες, ὧ Ἀλκιβιάδῃ, τοὺς ἀφρονάς μαίνεσθαι ὀρθῶς ἂν φαίημεν. in eodem: καὶ τό γε ἔσχατον εὐχόμενοι ἡμῖν αὐτοῖς τὰ κάκιστα· ὅπερ οὖν οὐδεὶς ἂν οἰηθείη, ἀλλὰ τοῦτό γε πᾶς ἂν οἶοιτο αὐτὸς ἑαυτῷ τὰ βέλτιστα εὐξασθαι, ἀλλ’ οὐ τὰ κάκιστα. τοῦτο μὲν γὰρ ὡς ἀληθῶς καὶ κατὰρα τινί, ἀλλ’ οὐκ εὐχῆ ὅμοιον ἂν εἶη. κακὸν ἄρα, ὡς εἰκεν, ἐστὶν <18.253> ἡ τοῦ βελτίστου ἄγνοια. ecce et ἄν et ἄρα affirmative posuit. idem in Lyside: εἰ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἀσθenoῖ, ἄρα ἐφῆ ἂν αὐτὸν ἄπτεσθαι τῶν ἑαυτοῦ ὀφθαλμῶν, μὴ ἰατρὸν ἠγούμενος, ἢ κωλύοι ἄν; Κωλύοι ἄν. ecce hic et interrogative et comprobative posuit ἄν. in eodem: ἀρ’ οὖν καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἡμῖν ἐπιτρέποι ἂν μᾶλλον ἢ ἑαυτῷ τε καὶ τῷ υἱεῖ, περὶ ὅσων ἂν δόξωμεν αὐτῷ σοφώτεροι ἐκείνων εἶναι; Ἀνάγκη, ἐφῆ, ὧ Σώκρατες. – Οὕτως ἄρα ἔχει. en ἄρα quoque tam interrogative quam confirmative in hoc loco posuit. idem in Theage: οὐ γὰρ οἶδα ὑπὲρ ὅτου ἂν τις νοῦν ἔχων μᾶλλον σπουδάξοι ἢ ὑπὲρ υἱέος αὐτοῦ, ὅπως ὡς βέλτιστος ἔσται· ὁπόθεν δέ σοι ἔδοξε τοῦτο, ὡς ἐγὼ ἂν μᾶλλον τὸν σὸν υἱὸν οἶός τε εἶην ὠφελῆσαι. invenis tamen et per ellipsin ἄρα et ἄν apud illos proferri.

Optativa verba in simili sensu, quomodo apud Latinos, proferuntur, ut idem in Charmide: ὅμως δὲ αὐτοῦ ἐρωτήσαντος, εἰ ἐπισταίμην τὸ τῆς κεφαλῆς φάρμακον, μόγις πῶς ἀπεκρινάμην, ὅτι ἐπισταίμην. τί οὖν, ἢ δ' ὅς, ἐστίν; καὶ ἐγὼ μὲν εἶπον, ὅτι αὐτὸ μὲν εἶη φύλλον τι, ἐπωδὴ δὲ τις ἐπὶ τῷ φαρμάκῳ εἶη, <18.254> ἦν εἰ μὲν τις ἐπάδοι ἅμα καὶ χρῶτο αὐτῷ, παντάπασιν ὑγιᾶ ποιοῖ τὸ φάρμακον· ἄνευ δὲ τῆς ἐπωδῆς οὐδὲν ὄφελος εἶη τοῦ φύλλου. ecce more Romano sine ἄρα vel ἄν hoc totum protulit.

Elective quoque saepissime hoc modo utimur, ut 'imperem quam moneam; discam quam doceam', quae et confirmative dicuntur. tamen et praeterito plusquamperfecto praeteritum imperfectum coniungere et praesenti praesens vel futuro solent vel praeterito, ut 'fecissem, nisi impedires' et contra 'facerem, nisi impedisses' et 'faciam, nisi impedias' et 'nisi impedieris' et 'fecero, nisi impedias' et 'nisi impedieris'. Virgilius in II Aeneidis:

Non prius aspicias, ubi fessum aetate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniunx-ne Creusa
Ascanius-que puer? quos omnis undique Graiae
Circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
Iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis

pro 'poterant tulisse, poterant hausisse'. Horatius de arte poetica:

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum,

id est 'potes dicere egregie'. frequentissime tamen utuntur auctores subiunctivis confirmantes etiam praeterito tempore res perfectas. et sciendum, quod hanc vim habent, ut ad cognitionem intellegantur futuram, quippe cum subiunctiva etiam praeteriti temporis, quomodo optativa, vim habent futuri. potest enim initium Verrinarum, quod supra quoque posuimus: si quis vestrum, iudices, aut eorum qui adsunt forte miratur, <18.255> me, qui tot annos in causis iudiciisque publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, laeserim neminem, sic quoque intellegi: ita sim pro 'ita inveniar' vel 'cognoscar'. nec mirum, cum etiam indicativo utuntur saepe futuro de rebus iam dudum praeteritis in supra dicta significatione. Lucanus in I:

Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Poenus erit,

erit dixit pro 'cognoscetur' vel 'dicetur'.

'Vt' causalis coniunctio omnibus temporibus et quaecumque pro ea ponuntur causali, id est ἵνα significanti, subiunctivo adiunguntur. licet autem et indicativa et subiunctiva eis anteponere vel subiungere, ut 'doces ut proficias' et 'doceas ut proficias; docebas ut proficeres' et 'doceres ut proficeres; docuisti ut profeceris' et 'docueris ut profeceris; docueras ut profecisses' et 'docuisses ut profecisses; docebis ut profeceris' et 'docueris ut profeceris'. sed indicativis utimur rem quae fit indicantes, subiunctivis vero quod debuit fieri ostendentes magis suasorie.

Imperativa quoque et optativa bene possunt his adiungi, ut 'lege ut discas; utinam discas ut doceas'. pro imperativis quoque subiunctiva frequenter ponunt auctores, ut Terentius in Andria:

Quaeso edepol, Charine, quoniam non potest id fieri quod vis,
Id velis quod possit.

idem in Phormione:

Desinas,

Sic est ingenium mulierum,
pro 'desine'.

Quod autem in plerisque intellectae supra dictae coniunctiones Graecae, id est ἄν et ἄρα, faciunt poni subiunctivos etiam aliis coniunctionibus <18.256> positis, usibus auctorum iterum aliis quoque comprobabimus. Virgilius georgicon II:

tamen haec quoque si quis

Inserat aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum,

ἐκδύσονται ἄν. idem in eodem:

Non alios prima crescentis origine mundi
Inluxisse dies alium-ve habuisse tenorem
Crediderim,

πιστεύοιμι ἄν. idem Aeneidos I:

At pius Aeneas per noctem plurima volvens,
Vt primum lux alma data est, exire locos-que

Explorare novos, quas vento accesserit oras – προσεληλυθὼς ἄρα εἶη ἠϊόνας –,

Qui teneant – τίνες ἄρα κρατοῖεν –, homines-ne ferae-ne,
Quaerere constituit.

Horatius carminum libro II:

Illum et † patris crediderim sui
Fregisse cervicem,

confirmative, πεπιστευκῶς εἶην ἄν, dixit. Virgilius in VIII:

similis si cura fuisset,

Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset,

ἐγεγόνει ἄν. Cicero de praetura urbana: Voconia lex videlicet te delectabat. imitatus esses illum ipsum G. Voconium, qui <18.257> lege sua hereditatem ademit nulli, imitatus esses pro 'imitari potuisses', ἐμιμήσω ἄν. idem in eodem: M. Iunius tutor et patruus; Mustius dixisset, si viveret, εἶρηκεν ἄν, εἰ ἔζη. et frequentissime apud omnes auctores hunc sensum hac ordinatione proferri invenis, quomodo etiam Graeci ἄρα coniunctionem confirmativam sive dubitativam, ut supra dictum est, ponunt. Terentius in Phormione:

Quid fit denique? –

Quid fiat?

τί ἄρα γένονται; subiunctivo est usus, ut intellegatur etiam ἄρα. idem in Andria:

Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis?

εἶπέ, τί ἐστίν ὅπερ ἄρα βούλοιο με; idem in eadem:

consilium meum

Cognosces et quid facere in hac re te velim,

καὶ τί ποιεῖν ἐν τούτῳ τῷ πράγματι σε ἄρα βουλοίμην: ecce hic affirmativum est, in superioribus vero interrogativum. Cicero de praetura urbana: quid ageret, cogitare coepit, si opus pupillo redimeretur; quid ageret dubitanter dixit, τί ἄρα πράξοι. et notandum, quod Latini, quando de rebus transacto tempore promissis vel cogitatis loquuntur, pro futuro vel praesenti Graeco praeterito imperfecto subiunctivi utuntur, quomodo in supra dictis: quid ageret, cogitare coepit, 'τί πράξειεν' ἢ 'πράξοι'. similiter Virgilius in I Aeneidos:

Certe hinc Romanos olim volventibus annis,
Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucris,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus,

<18.258> κρατήσοιεν ἄν. Cicero de praetura urbana: qui etiam ad extremum adscripserit 'rediviva sibi habeto', quasi quicquam redivivi ex opere illo tolleretur ac non opus totum ex redivivis constitueretur pro 'ἐπαίροιτο ἄν' καὶ 'κατατάπτοιτο ἄρα'. in eodem: atque in illis columnis dico esse, quae a tuo redemptore commotae non sint, dico esse, ex qua tantum tectorium vetus deiectum sit et novum inductum – affirmative hic quoque usus est subiunctivis quod si tanta pecunia columnas dealbari putassem, certe numquam aedilitatem petissem: hic quoque confirmative dixit, οὐκ ἂν ἤτησα, et nota, quod 'si' praeposita subiunctivum subiunctivo coniunxit. similiter in eodem: nemo dubitat, quin multo maius sit, μείζον ἄρα εἶη, novam facere. similiter in eodem: cum instaret Habonius, in me causam conferebat, quod eum codicem obsignassem, 'ἐσφράγισα ἄν' ἦτοι 'ἐσφραγικῶς εἶην ἄρα', affirmative. idem in eodem: hac condicione, si quis de populo redemptor accessisset, non esset usus, confirmative dixit non esset usus, οὐκ ἂν ἐχρήσατο, nam si quis accessisset dubitative protulit. in eodem: quid iste in hostium praeda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit, qui maiore pecunia quattuor columnas dealbandas quam ille omnis aedificandas locarit. ecce hic quoque omnia affirmative dicuntur. idem in eodem: quis a signo Vertumni in circum maximum <18.259> venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoveretur? quam tu viam thensarum atque pompae eiusmodi exegisti, ut ipse illa ire non audeas, οὐκ ἂν πολμήσοις, id est 'prorsus non audes'. in eodem: qui aedem Castoris testem furtorum tuorum esse volueris ἠθελήκοις ἄρα –, quam populus Romanus cotidie, iudices etiam tum cum de te sententias ferrent, viderent, ὀρῶεν ἄρα pro 'omnimodo aspicerent'. in eodem: qui adductus est in iudicium verbo, quod, cum esset tribunus, intercessisset contra legem Corneliam; re vera, quod in tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis voluntatem, dixisset, εἰρήκοι ἄρα. in eodem: hic etiam queritur, quod a nobis novem solis diebus prima actio sui iudicii transacta sit, cum apud istum ipsum tribus horis Quintus Opimius, senator populi Romani, bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit? hic quoque affirmative ponuntur subiunctiva verba. in eodem: cuius propter indignitatem iudicii saepissime est actum in senatu, ut genus hoc totum multarum atque eiusmodi iudiciorum tolleretur, 'ut', quia pro ἵνα accipitur, subiunctivum attraxit. in eodem: iam qui ex calamitate senatoris

populi Romani, cum praetor iudicio eius praefuisset, spolia domum suam referre et manubias detrahare conatus sit, is ullam calamitatem a sese poterit deprecari? ecce hic quoque de re indubitabili posuit subiunctivum conatus sit, ἐπεχείρησεν ἄρα. in eodem: multos a te viros primarios audisse, cum diceres, ignosci tibi <18.260> oportere, quod falsum codicem protuleris; nam qua invidia Gaius Iunius conflagrarit, ea, nisi providisses, tibi ipsi tum pereundum fuisset. in eodem: dicent, inquam, et religione adducti et domesticarum legum metu, quid illo myoparone factum sit: hic quoque confirmativam habet vim subiunctivum verbum. in eodem: in quibus non dubito, quin offensionem negligentiae vitare atque effugere non possim, οὐκ ἂν δυναίμην. . . . quapropter ita me de praeturae criminibus audite, ut ex utroque genere et iuris dicendi et sartorum tectorum exigendorum ea postuletis, quae maxime digna sint eo reo, cui parvum aut mediocre obici nihil oporteat, οὐκ ἄρα χρή. nam ut praetor factus est, qui auspiciatu a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanae provinciae. . . . docet hominem, quid posset fieri . . . tutores pecuniam praetori si dedissent, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent – δύναιντο ἂν δοῦναι –, non videbant. in eodem: iste ad arbitrium eius, cui condonabat hereditatem ereptam liberis, quam aequum edictum conscripserit – ‘συνέγραψεν ἄρα’ ἢ ‘συγγεγράφοι ἄρα’ –, quaeso cognoscite . . . qui testamentum fecit, fecerit: praeterito indicativo <18.261> usus est quasi indubitabili, futuro vero subiunctivo, in quo est aliqua dubitatio, utrum fiat necne. de iure vero civili, si quis novi quid instituerit – διατυπώσειεν ἄρα –, is non omnia, quae ante acta sunt, rata esse patiat, id est ‘non debet pati rata esse’. ergo hic quoque confirmative posita sunt subiunctiva. in eodem: ac si hoc iuris non unius hominis causa edixisses, cautius composuisses, συνέθηκας ἂν, quod est confirmativum. in eodem: quid? si plus legarit, quam ad heredem heredes-ve perveniat. in eodem: iam hoc magnum iudicium hominum de istius singulari improbitate, quod G. Verres sua sponte instituisset, διατετυπώκει ἄρα, id neminem metuisse, ne quis reperiretur, qui istius institutum sequi vellet – θελήσοι ἄρα – . . . prohibe, si potes, si habes, qui te audiat, si potest tibi dicto audiens esse, eripias tu voluntatem mortuis, bona vivis, ius omnibus? hoc populus Romanus non manu vindicasset – οὐκ ἂν ἐξεδίκησεν –, nisi te huic tempori atque iudicio reservasset? in eodem: et simul dum est, unde ius civile discatur, adulescentes in disciplinam ei tradite. in eodem: si quis testamento se esse heredem arbitraretur, quod tum non extaret, lege ageret in hereditatem. aut pro praede litis vindiciarum cum satis accepisset, sponsionem faceret, ita de hereditate certaret. <18.262> in eodem: videte, ut hoc iste correxerit, διώρθωσεν ἄρα. in eodem: quid ad praetorem, uter possessor sit? nonne id quaeri oportet, utrum possessorem esse oporteat? in eodem: quid ergo interest, proferantur necne? in eodem: valde hoc est mirum, neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet. in eodem: utrum digniores homines esse existimasti eos, qui habitant in provincia, quam nos, qui aequo iure uterentur? ubique ἄρα vel ἂν Graecae coniunctiones intellegendae sunt in interpretatione. in eodem: et cum edictum totum eorum arbitrato, quam diu fuit designatus, componeret, qui ab isto ius ad utilitatem suam nundinarentur, tum vero in magistratu contra illud

edictum suum sine ulla religione decernebat. in eodem: nam, quaeso, redite in memoriam, Quirites, quae libido istius in iure dicendo fuerit, γέγονεν ἄρα. in eodem: Sacerdotem execrabantur, qui verrem tam nequam reliquisset – – – καταλελοίπει ἄρα –. quae ego non commemorarem, . . . nisi vos illud vellem recordari; non commemorarem, οὐκ ἂν ἀπεμνημόνευον. in eodem: oblitos-ne igitur hos putatis esse, quemadmodum sit iste solitus virgis plebem Romanam concidere? in eodem: superbia vero qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum iste tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse numquam duxerit? omnia confirmative dicuntur. in eodem: impetrant, ut ne iurent . . . adimas tu ei, qui iuravit; quo exemplo? ἀφέλοιο ἄρα. in eodem: is mortuus est G. Sacerdote <18.263> praetore, nescio an ante quam Verres praeturam petere coeperit. in eodem: docebat, edictum eius non oportere in eas hereditates valere, quae ante eum praetorem venissent, ἐληλύθασιν ἄρα . . . rem demonstrat, quam pridem sibi hereditas venisset, docet . . . an vero dubitamus, . . . quo denique ore, quos numquam liberos putavit, libertinos homines solitus sit appellare? in eodem: optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat. monumentum illa amplitudine, illo opere quamvis sartum tectum integrum-que esset, tamen aliquid se inventurum, in quo moliri praedari-que posset, δύναιτο ἄρα. in eodem: Habonius, qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traderetur, παραδίδοιτο ἄρα, perpendiculari mentio fit nulla, et qui non putaret, sibi expedire ita accipere, ne eodem modo sibi tradendum esset. in eodem: quid erat, quod rescinderet, cum suo quemque loco lapidem reponeret? in eodem: quaerimus, . . . quid in extremis Pamphyliae partibus fecerit, qualis in bello praedonum praedo ipse fuerit, qui in foro populi Romani pirata nefarius reperiatur. in eodem: quod nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam inpudentem fore arbitrabatur, qui tam nefariis criminibus, tam multis testibus convictus ora iudicum aspicere aut os suum populo Romano <18.264> ostendere auderet. est idem Verres, qui fuit semper, ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum . . . nam si id fecisset, quod statuerat, ut non adesset, minus aliquanto quam mihi opus esset, cognosceretur, quid ego . . . elaborassem, vestra vero laus tenuis . . . esset, si condemnatus sit is, qui adesse noluerit, et si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere. ubique alterutra supra dictarum coniunctionum Graecarum cum subiunctivis est intellegenda. in eodem: de inpudentia singulari . . . sunt qui mirentur. in eodem: iste unus inventus est, qui et a complexu parentum abreptos filios ad necem duceret et parentes pretium pro sepultura liberum posceret. in eodem: si populus Romanus istius unius supplicio contentus fuerit ac non sic statuerit, non istum maius in se scelus concepisse . . . quam eos, qui istum . . . sententia sua liberarint, ἠλευθέρωσαν ἄρα.

Ideo ex uno libro Ciceronis tot usus proponere studui, ut docerem, quam frequentissime hac constructione usi sint auctores eloquentiae Latinae, in hoc quoque Atticos maxime imitati, quorum similiter usus necessarium esse existimavi collectos subicere.

Platon in Alcibiade priore: πρὸς πατρός τέ σοι φίλους καὶ συγγενεῖς πλείστους εἶναι καὶ ἀρίστους, οἳ, εἴ τι δέοι, ὑπηρετοῖεν <18.265> ἂν

σοι. quod nos, sicut supra ostendimus, per subiunctivos proferentes non egemus ἄν Graeca coniunctione, ut: ‘ex patre tibi amicos et cognatos plurimos esse et optimos, qui, si quid opus sit, ministrent tibi’. in eodem: ὄρα δὴ· οὐ γάρ τοι εἶη ἄν θαυμαστόν, εἰ, ὥσπερ μόγισ ἠρξάμην, οὕτως καὶ μόγισ παυσαίμην: ‘vide autem; non enim sit mirum, si, quomodo vix coepi, sic vix desiero’. et attende, quod illi quoque est ubi sine coniunctione ἄν vel ἄρα verbis utuntur optativis, quomodo hic παυσαίμην, quod nos ubique in huiusmodi sensibus facimus, id est, qui ad supra dictas coniunctiones Graecas attinent, subiunctivis per se verbis utentes, cum illi non solum optativis, sed etiam indicativis, ut supra diximus, eas adiungant, ut idem Plato in eodem: ἐγὼ γάρ, ὦ Ἀλκιβιάδη, εἰ μὲν σε ἐώρων ἂ νῦν δὴ διήλθον ἀγαπῶντα καὶ οἰόμενον δεῖν ἐν τούτοις καταβῶναι, πάλαι ἂν ἀπηλλάγμην τοῦ ἔρωτος: necesse est, ut subiunctivo utamur, dicendo ‘dudum expeditus essem amore’. in eodem: νῦν δὲ ἐφῆκε· νῦν γάρ ἄν μου ἀκούσαις: ‘nunc, inquit, nunc enim me audias’, confirmative dixit. in eodem: εἴ τις σοι εἴποι θεῶν· ὦ Ἀλκιβιάδη, per inductionem optativo est usus: ‘si quis tibi dicat deus’. in eodem: νεωτέρω μὲν οὖν ὄντι σοι καὶ πρὶν τοσαύτης ἐλπίδος γέμειν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ εἶα ὁ θεὸς διαλέγεσθαι, ἵνα <18.266> μὴ μάτην διαλεγοίμην. nota, non solum εἰ, sed et ἵνα et ὅπως etiam optativo coniungi Atticis, cum apud nos tam ‘ut’ causalis coniunctio quam ‘ne’, quando ἵνα μὴ significat, subiunctivo sociantur, qui tamen similis est, ut saepe diximus, optativo: ‘ut ne frustra disputarem’. idem in Gorgia: ὥστε εἴ μοί γε καὶ τὴν ἡμέραν ὅλην ἐθέλοιτε διαλέγεσθαι, χαριεῖσθαι, ‘si velitis loqui’. Homerus:

Ἄϊ κέ μοι ὦς μεμαυῖα παρασταίης, γλαυκῶπι.

Ἄϊ κέν μοι δῶη Ζεὺς αἰγίοχος καὶ Ἀθήνη.

interrogative quoque ἄν ponentes cum optativis proferunt. Plato in I Alcibiade: πότερ’ ἄν δέξαιό σοι εἶναι, ἀγαθὰ ἢ κακά; quod autem Latini quoque omnibus temporibus subiunctivi modi etiam in optativo utuntur, ostendit tam usus quam antiquiores Donato artium scriptores. Virgilius in VI:

Hac Troiana tenus fuerit Fortuna secuta.

ecce hic [fuerit] optative posuit in precatione Aeneae hoc verbum, quod tam praeteriti perfecti quam futuri potest esse: quod Donatus et quidam alii subiunctivi tantummodo putant esse, cum aliae omnes voces optativi communes sint etiam subiunctivo. ergo non immerito in supra dicta Attica constructione, qua illi optativis utuntur, hoc quoque tempore indifferenter nostri sunt usi. inveniuntur tamen etiam nostri poetae saepe metri causa <18.267> indicativis pro subiunctivis usi, ut Horatius in II carminum:

Me truncus illapsus cerebro

Sustulerat, nisi Faunus ictum

Dextra levasset,

sustulerat pro ‘sustulisset’ posuit propter metrum.

QVAE GENERA VEL SIGNIFICATIONES VERBORVM QVIBVS
CASIBVS CONSTRVVNTVR.

Quoniam igitur de constructione modorum verbi dictum est, qui omnes eundem casum sequuntur, quem genus sive significatio verbi exigit, quam *διάθεσις* Graeci vocant, de hac quoque diligentissime est quaerendum.

Sciendum itaque, quod omnia activa apud Latinos, quae faciunt a se passiva, quae et transitiva sunt in homines, sine dubio accusativo adiunguntur, ut ‘oro te’, quia habet etiam passivum ‘oror a te’. similiter ‘accuso te, accusor a te; curo te, curor a te; audio te, audior a te; patro te, patror a te; impetro te, impetror a te; temno te, temnor a te; neglego te, neglegor a te; despicio te, despicior a te; sentio te, sentior a te; impedio te, impediior a te; inchoo te, inchoor a te; incipio te, incipior a te’. similiter etiam neutra vel deponentia actum significantia cum transitione in quodcumque accusativum sequuntur, ut ‘facio domum, eo iter, navigo Pontum, ardeo uxorem’, quando pro ‘amo’ accipitur. Virgilius in bucolico:

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

‘dedisco illam rem’ Lucanus in I:

Dedidicit iam pace ducem;

Cicero tamen simplicis eius passivum protulit de praetura urbana: dum est, unde ius civile discatur. Terentius in adelphis:

<18.268> Nisi, dum hae silescent turbae, interea in angulum

Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi

pro ‘hoc villum’, quod est diminutivum vini. Virgilius in II Aeneidos:

Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae.

Horatius in I carminum:

nec muliebriter

Expavit enses.

similiter dicimus ‘doleo pedem, ferveo pectus, ambulo spatium’; sic etiam deponentia transitiva actum significantia ‘sequor hominem, loquor fabulam, expiscor socium, experior rem, arbitror iustitiam, reor veritatem, suspicor inimicum’.

Sunt tamen tam ex his quaedam quam ex activis, quae cum accusativo etiam dativo adiunguntur, quae sunt acquisitiva, de quibus mox dicetur, ut ‘do tibi aurum, dono illi servum’; dicitur tamen et in eodem sensu ‘dono illum servo’ more Attico. Virgilius in V:

Sergestum Aeneas promisso munere donat.

similiter ‘praebeo, praesto, exhibeo, mando, polliceor, muneror, indico, exprobro tibi illam rem’; similiter dicimus ‘praepono tibi illum’ et ‘praefero’ et ‘praeeficio’.

Pauca sunt, quae activa voce transitive soli dativo adiunguntur, ut ‘noceo tibi, invideo, maledico, benedico, praeniteo’ – Horatius in I carminum:

cur tibi iunior

Laesa praeniteat fide –

‘dissideo tibi’ – Horatius in II carminum:

Redditum Cyri solio Phraatem

Dissidens plebi numero beatorum

Eximit virtus –,

quamvis, si quis attente haec quoque inspiciat, inter acquisitiva vel aequiperantia sunt ponenda: ‘noceo tibi’ (est ‘nocens tibi fio’); ‘invideo tibi’, <18.269> quasi ‘non videns tibi fio’, hoc est ‘non ferens te bene agentem videre’; ‘maledico tibi’, ‘contra te dico male’.

Inveniuntur tamen pauca, quorum quamvis actus transeat in aliam personam, non habent tamen passiva, ut ‘facio’ et ex eo cum infinitis verbis composita, ut ‘calefacio, tepefacio, obstupefacio’; pro passivo quoque eorum ‘fio’ et ex eo similiter composita accipiuntur, ut ‘calefio, tepefio, obstupefio’ et similia; cum praepositionibus enim compositum ‘facio’ plerumque habet passivum, ut ‘perficio perficior; afficio afficior; inficio inficior; efficio efficior’ et similia.

Illa quoque verba activorum vocem habentia, quorum actus ad res carentes loquella pertinent, primas quidem et secundas voces non possunt naturaliter passivas habere, quippe cum nec de se loqui ipsae quid patiuntur possint, quod est primae personae, nec ad eas, cum careant auditu, qui proprie pertinet ad secundam personam, loqui possimus; tertiam vero habent personam, de qua inter primam et secundam loquella recte fieri potest, ut ‘laboratur vestis’, unde Virgilius in I Aeneidos:

Arte laboratae vestes;
‘potatur fluvius’, Iuvenalis in IIII:
epota-que flumina Medo

Prandente.

similiter dicimus ‘cenatur piscis, prandetur holus, decurritur spatium’, unde Terentius in adelphis:

† decurso iam spatio.

DE PASSIVIS.

Passiva ablativo vel dativo transitive adiunguntur, ut ‘doceor a te’ et ‘tibi, videor ab illo’ et ‘illi’; similiter passivam vim habentia neutralia vel deponentia, ut ‘vapulo a te’ et ‘tibi exulo, nascor, patior’. licet tamen etiam accusativum addere his, quibus per diversas res fieri solet passio, ut ‘doceor a te literas, pascor carnem, vituperor insipientiam’. Virgilius <18.270> in IIII Aeneidos:

Testor, cara, deos et te, germana, tuum-que

Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

et docemur enim et pascimur et vituperamur et accingimur diversis rebus; nasci enim et exulare ad unam rem pertinet ipsius natus et exilii.

DE COMMVNIBVS.

Communia, quando actum significant, activorum constructionem, quando passionem, passivorum sequuntur, ut ‘crimino te’ et ‘crimino a te, venero te’ et ‘venero a te’.

DE ABSOLVTIS.

Absoluta, sive activae sive passivae sint vocis, cum nominativo perfectam habent constructionem, ut ‘Plato vivit, Aristoteles deambulat, Socrates philosophatur; ego esurio, tu dormis, ille volat’.

Et reciproca vero sive sui passiva, quae ἰδιοπαθῆ vocant Graeci, licet et absolute proferre, ut ‘rubeo, horreo, tepeo, ferveo’, et coniungere his ablativos, ut ‘rubeo pudore, horreo frigore, tepeo austro, ferveo aestate’. nec solum tamen

his, sed omnibus verbis licet ablativum adiungere, cum causam per eum indicamus ipsius actus vel passionis, quod licet in omni specie facere verborum, ut ‘Plato vivit anima’, id est ‘per animam’; ‘Aristoteles deambulat pedibus’, id est ‘per pedes’; ‘Socrates philosophatur sapientia’, id est ‘per sapientiam’; similiter ‘horreo frigore’, id est ‘per frigus’.

Nec mirum absoluta posse obliquis adiungere casibus, cum etiam transitiva licet absolute proferre, cum maxime aliquam sui passionem ipso actu significant, ut ‘hic amat, ille luget, iste ridet’. itaque Virgilius huiuscemodi res ostendit animorum esse passiones, ut in VI:

Hinc metuunt cupiunt-que, dolent gaudent-que.

idem in eodem:

<18.271> Lugentes campi.

idem in V:

risit pater optimus.

Terentius in adelphis:

Amat: dabitur a me argentum, dum erit commodum.

et rursus eadem cum casibus transitive: ‘amo clementiam, lugeo miseriam, rideo stultitiam’. quae vero non egent obliquis casibus, ea nec passiva habent, ut ‘spiro, vivo, navigo, proficiscor’, quamvis haec quoque figurate, ut supra ostendimus, coniunguntur obliquis casibus, ut ‘securam vivit vitam; spirat’ et ‘expirat animam; navigo mare’ et ‘navigatur mare’ et similia. at quae egent casibus et transitive dicuntur, ut actus in hominem fiat, habent et passiva, ut ‘ferio Tryphonem’, quem actum ille interpretando, in quem fit, facit verbum passivum: ‘ferior a te; vulnero hostem, vulneror ab hoste’. excipiuntur, ut ostendimus, pauca, quae quamvis sint activa et transitive dicantur in hominem, tamen non habent passiva, usu deficiente, ut ‘noceo tibi, facio te doctum’. sed hoc verbum loco passivi habet alterum verbum similiter activae vocis, sed significationis passivae, ‘fio’. ‘noceo’ quoque et ‘maledico, benedico, invideo’, cuius tamen passivum Horatius in arte poetica auctoritate usus protulit:

ego cur, adquirere pauca

Si possum, invideor?

idem etiam accusativum ei verbo cum dativo adiunxit in I epistularum:

invidet usum

Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.

et haec tamen ad imitationem Graecorum dativis adiunguntur; nam illi λυμαίνομαί σοι et λοιδορῶ σοι. Herodotus in I: λυμαινομένη τῷ νεκρῷ.

Cetera vero omnia, nisi sint acquisitiva vel aequiperantia vel supereminentia vel subiecta, a nominativo actum transitive ad homines facientia, <18.272> ut praediximus, ad accusativos construuntur, cum utraque supponatur persona tam agentis quam patientis, ut ‘doceo te, doceor a te’. nam is, qui patitur, in significatione passiva transfert accusativum, qui ad se pertinebat, cum activum proferebatur verbum, in nominativum adiunctum passivo, qui in ipso verbo, ut saepe diximus, intellegitur, etiam si non apponatur, contra vero nominativum agentis in ablativum, ut ‘erudio te, erudior a te; tango te, tangor a te’. itaque communia utrumque habent modum constructionis.

Verborum vero alia ad corpus, alia ad animam, alia ad utrumque, alia ad extrinsecus accidentia pertinent: ad corpus: ‘lavo te, tondeo, vulnero, sordido’; ad animam: ‘erudio, doceo, instituo, moneo, consulo, suadeo’; ad utrumque: ‘laedo, offendo, moveo, noceo, maledico, benedico, provideo’; ad extrinsecus accidentia: ‘dito, impero, subigo, domo’. sunt alia communia omnium supra dictorum, ut ‘facio te doctum’ vel ‘formosum’ vel ‘felicem’. inveniuntur quaedam, quae activa voce et constructione tamen passivam habent significationem, et passiva activam, ut ‘timeo te’ et ‘timeor a te; metuo te’ et ‘metuor a te’. Lucanus in V:

Dum metuar semper terra-que expecter ab omni.

et sunt alia laudativa vel vituperativa, ut ‘cano, praedico, laudo, celebros, amplifico, vitupero, culpo, reprehendo, incuso, accuso, insimulo, succenseo’; alia artificiorum, ut ‘philosophor, poëtor, architector, modulos, medicor’ et ‘medico’ et ‘medeor’. (Virgilius in II georgicon:

et senibus medicantur anhelis.

idem in I georgicon:

Semina vidi equidem multos medicare serentes.)

Sunt alia deceptiva, ut ‘fallo, decipio, eludo, induco, illicio, pellicio’; alia acquisitiva vel supereminencia vel subiecta vel aequiperativa, quae dativo adiunguntur, cuiuscumque sint generis vel significationis verborum, <18.273> ut ‘laboro tibi, vigilo, propugno, largior, dono, muneror, indulgeo, praesto, praebeo, exhibeo, do, annuo, consentio, assentior, medeor tibi, medicor tibi’, id est ‘sanitatem tibi adquire’: dicitur tamen et ‘medico’, quod activorum servat constructionem. Virgilius in II georgicon:

et senibus medicantur anhelis.

idem in I:

Semina vidi equidem multos medicare serentes.

Terentius in Andria:

Eius labore atque eius dolore nato ut medicarer tuo;

idem accusativo in Phormione:

Quam scitum est eiusmodi parare in animo cupiditates,

Quas, cum res advorsae sient, paulo mederi possis.

‘moderor tibi’ et ‘te’: Sallustius in Catilinario: fortuna, cuius libido gentibus moderatur; intellegimus enim res omnes ad felicitatem vel miseriam gentium.

Lucanus in X:

Sideribus quaecumque fugam moderantur Olympi,

moderantur pro ‘regunt’. ‘maledico tibi’ Cicero pro Deiotaro: eius enim nomine, optimi viri nec tibi ignoti, maledicebat tibi; ‘benedico tibi, parco, tempero’ - Virgilius in I georgicon:

Iam sibi tum a curvis male temperat unda carinis, -

quando pro ‘parco’ accipitur. supereminencia vel subiecta sunt, ut ‘impero tibi’ - Virgilius in I georgicon:

Exercet-que frequens tellurem atque imperat arvis -,

‘regno tibi, dominor tibi, praecipio tibi, suadeo tibi, provideo tibi, prospicio tibi, consulo tibi’; nam ‘consulo te’ interrogativum est et tunc habet <18.274>

passivum, quomodo et ‘tempero’. eorum tamen quaedam possunt etiam adquisitiva esse. subiecta sunt, ut ‘servio tibi, oboedio, pareo, ministro, misceo tibi, famulor’; aequiperantia: ‘luctor tibi, sermocinor, certo, loquor, altercor, invideo tibi’, nam plerumque ad pares fit felicius agentes, auctor-que est huius Hesiodus dicens:

Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει καὶ τέκτονι τέκτων.

Desiderativa vel inquisitiva accusativo sociantur: ‘quaero te’, similiter ‘invenio, reperio, expecto, desidero, opperior, scrutor, sequor’ et ‘sector, praestolor te’ et ‘praestolor tibi’ – sed magis, quando dativo coniungitur, adquisitivum est. Terentius in eunucho:

Quem praestolare, Parmeno?

Cicero in I invectiviarum: qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur – et quae per obtinentiam, id est κατὰ ἐπικράτειαν, dicuntur: ‘habeo, possideo, teneo, contineo, sustineo, servo, custodio, tueor, tutor, defendo, prohibeo, arceo, impedio, implico, solvo, vinco, supero, domito, subicio, deicio’; adorativa quoque: ‘colo te, honoro, adoro, erubeo, adolor te’ et ‘tibi’; suspectiva etiam vel opinativa: ‘suspikor, opinor, arbitror, existimo, reor’, quae maxime infinitum assumunt substantivi cum accusativo, ut ‘suspikor inimicum esse, opinor amicum esse, arbitror alacriter profuturum esse’, sed et aliis infinitis iunguntur ‘opino me intellegere’ et ‘intellexisse Virgilium’, ‘existimo recte legere’ et ‘legisse Ciceronem’ et similia.

Voluntatem quoque significantia accusativo coniunguntur cum infinito alterius verbi: ‘volo te currere’; similiter ‘studeo, propero, cupio, <18.275> affecto, festino’, nisi infinitum a verbo sit alii casui iungendo; tunc enim necesse est infinitum quoque verbi sui constructionem servare, ut ‘miseror tui, misereri tui volo; noceo tibi, nocere tibi cupio; dignor te laude, dignari te laude cupio; mereor laudem, mereri laudem affecto’. absolutis vero supra dicta verba si coniungantur, accusativum assumunt, ut ‘desidero vivere filium, studeo te currere, propero me deambulare’. similiter interrogativa: ‘interrogo te, rogo, stipulor’. Iuvenalis in III:

Quantum vis stipulare, et protinus accipe, quid do,
Vt totiens illum pater audiat.

frequentissime tamen ‘stipulor abs te’ pro ‘interrogo te’ dicimus, quomodo et ‘quaero abs te’. Cicero invectiviarum II: quaesivi a Catilina, nocturno conventu apud M. Laecam fuisset necne, pro ‘interrogavi Catilinam’. invenitur tamen etiam in passiva significatione similiter dictum ‘stipulor abs te’ pro ‘interrogor abs te’. Suetonius in IIII pratorum: minor viginti quinque annorum stipulari non potest passive dixit. ‘consulo’ quando interrogativum est, ut supra diximus, accusativo rationabiliter, adquisitivum vero dativo copulatur. funebria quoque verba ad accusativum feruntur, ut ‘lugeo te, ploro, lacrimo, plango, queror te’ et ‘tibi’ pro ‘apud te’ – Virgilius in bucolico:

Dum queror et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci.

Iuvenalis in I:

Nec quereris patri nec terram cuspide quassas?

<18.276> intellegitur enim ‘Romanos quereris apud patrem’; vocativa quoque: ‘voco te, imploro, clamo, nomino, nuncupo, invoco, accerso’.

Illa quoque notanda, quae cum nullum significant actum, sed magis sui passionem demonstrent, tamen, quia activam habent vocem, accusativo coniunguntur, ut ‘trepido, horreo, formido, vito, fugio, recuso, excuso’; similiter ‘metuo’ et ‘timeo’: haec autem, cum passive dicuntur, magis actum significant; et e contrario, cum active dicuntur, magis passionem significant, ut ‘timeor: timorem facio; timeo’ vero ‘timorem patior’. Lucanus in V:

Dum metuar semper terra-que expecter ab omni.

idem in I:

fecunda virorum

Paupertas fugitur

pro ‘fugam facit’, quod est ‘fugat’. eandem vim habent et similia.

Hortativa quoque accusativum asciscunt: ‘excito, incito, hortor, moneo, agito, stimulo’; precativa etiam accusativo iunguntur: ‘oro, obsecro, obtestor, quaeso, litor, precor, supplico’; hoc non solum accusativo, sed etiam dativo coniungitur – Terentius in Andria:

huic supplicabo –

est enim subiectivum plus aliis omnibus, quae sunt eiusdem speciei. multifida est cum accusativo constructio: ‘iuro, castigo, doceo, illido, calefacio, frigefacio’.

Ad sensum pertinentia, quae Graeci genetivo coniungunt, quasi passionem quoque in ipso actu significantia – ἀκούω σοῦ, ἄπτομαί σου, ὄσφραίνομαι, γεύομαι τοῦδε, αἰσθάνομαι –, excepto ‘video’ et similibus, <18.277> quae plus actus habent quam alii sensus, nos accusativo copulamur, quippe ex activa passivam vocem facientia, ut ‘audio te’ et ‘audior a te; tango te’ et ‘tangor a te; gusto’ et ‘gustor, sentio’ et ‘sentior’. similiter omnia fere activa: ‘impetro illam rem’, quia et ‘impetror; patro’ et ‘patror; curo’ et ‘curor; impedio’ et ‘impedior; neglego’ et ‘neglegor’.

Separativa sive discretiva cum accusativo etiam ablativo coniunguntur, ut ‘averto illum hac re’ et ‘ab hac re’. similiter ‘pello, amoveo, torqueo, separo, dirimo, educo’ et similia. Virgilius in I Aeneidos:

Nec posse Italia Teucrorum avertere regem.

Cicero Philippicarum V: ab urbe M. Antonii impetus in Galliam avertere. idem invectivarum III: quis tam aversus a vero?

Nec mirum verba sensum significantia, qui habeat aliquid passionis, accusativo coniungi, cum multa alia quoque sint et activa et neutra, quae quamvis et ipsa vi intellectus ipsius aliquid pati videantur, accusativis tamen adiunguntur, ut ‘amo’ et ‘desidero, ardeo’. Virgilius in bucolico:

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Neutra et deponentia, quod superius dictum est, si actum significant et habeant transitionem ab homine in hominem, accusativo coniunguntur, ut ‘facio te doctum, sequor hominem, miror, aspurnor, suspicor, contemplor, conspisor’, unde non irrationabiliter antiquissimi etiam in passiva significatione ea proferebant, quod latius de verbo tractantes ostendimus. sin haec eadem (id est

neutra vel deponentia) passionem significant, passivorum constructionem sibi defendunt, id est ablativo vel dativo coniunguntur, ut ‘fio a te doctus, vapulo ab illo, exulo, nascor, patior’.

<18.278> Ad eos autem casus, ad quos coniungitur indicativus, necesse est totius verbi declinationem construi et participia et supina, ut ‘amo illum, amans illum, amandi illum causa curro, amando illum vigilo, amandum est illos, amatum eo illum’; nam in u desinens magis nominativo adiungitur. Virgilius in III:

Nec dictu facilis nec visu effabilis ulli.

Non mireris tamen, omnia activa ex quacumque voce actum significantia cum transitione Romanos accusativo coniungere, cum Attici quoque tam in eis quam in aliis constructionum plerisque idem servant. quamobrem necessarium esse duximus, multos et diversos usus ab auctoribus utriusque linguae colligere omnium orationis partium, quorum exemplis gaudeant confidentius-que utantur, qui laudibus utriusque gloriari student doctrinae.

Latini ‘curo illam rem’, ut Virgilius georgicon I:

Invidet atque hominum queritur curare triumphos
et Ξενοφῶν ἀπομνημονευμάτων primo: ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἐπεδείκνυεν.

Ἐν τῷ αὐτῷ· ταύτην γὰρ τὴν ἕξιν ὑγιεινὴν τε ἱκανῶς εἶναι καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν οὐκ ἐμποδίζειν ἔφη. Lucanus in quarto:

quo tempore primas

Impedit ad noctem iam lux extrema tenebras.

<18.279> Nos ‘sentio illam rem’; similiter illi. Virgilius in X:

Hoc patris Anchisae manes, hoc sentit Iulus.

Ἴσοκράτης παραινέσειν: οὕτω γὰρ τὴν ἐκείνων τε διάνοιαν αἰσθήσει καὶ σαυτὸν οὐ καταφανῆ ποιήσεις.

Nos ‘audio illum’; sic etiam illi. Virgilius in XII:

Audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit.

Δημοσθένης Φιλιππικῶν Γ: ὅταν δὲ πρὸς τὰ πράγματα ἀποβλέψω . . καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω.

‘Patior illum’ Lucanus in I:

Pellimur e patriis Laribus patimur-que volentes

Exilium.

Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος: εἰ μὲν ἴστε με τοιοῦτον ὄντα, οἶον οὗτος ἠτιᾶτο, οὐ γὰρ ἄλλοθι βεβίωκα ἢ παρ’ ὑμῖν, μηδὲ φωνὴν ἀνάσχησθε.

<18.280> ‘Memini illam rem’ et ‘illius rei’. Virgilius in bucolico:

numeros memini, si verba tenerem.

idem in IIII Aeneidos:

nec meminisse pigebit Elissae.

Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Αἰσχίνου: ἵνα τὴν ὅτε ἀδωροδόκητος ὑπῆρχε προαίρεσιν αὐτοῦ τῆς πολιτείας ἀναμνησθέντες, ὡς προβεβλημένα καὶ ἄπιστος ἦν πρὸς τὸν Φίλιππον. Ὅμηρος in Iliados Ω:

Μνήσαι πατρὸς σείο, θεοῖς ἐπιείκελ’ Ἀχιλλεῦ.

‘Impero tibi’, ἄρχω σοῦ. Virgilius in I georgicon:

Exercet-que frequens tellurem atque imperat arvis;

Attici: ἤρχεν Ἀθηναίους.

Latini ‘aufero tibi’ et ‘a te’, similiter ‘eripio, adimo, amolior, amoveo’.

Terentius in Phormione:

Aufer mi oportet.

Lucanus in V:

Heu quantum fortuna umeris iam pondere fessis

Amolitur onus.

Virgilius in II Aeneidis:

te-que his, ait, eripe flammis.

Homerus in Iliadis A:

αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ,

et per accusativum tamen idem in Iliadis A:

Μῆτε σὺ τόνδ’ ἀποαίρεο κούρην.

<18.281> Illi ἄχθομαι τόδε et τῶδε et nos quoque ‘doleo illam rem’ et ‘illa re’; similiter ‘indignor’. Sallustius in Catilinario: et quasi dolens eius casum.

Virgilius in II Aeneidos:

Et casum insontis mecum indignabar amici.

idem in I:

Nota tibi et nostro doluisti saepe dolore.

‘Ausculdo tibi’ et ‘te’. Attici ‘ἀκροῶμαι σοῦ’ καὶ ‘σέ’. Αἰσχίνης ἐν τῶ κατὰ Κτησιφῶντος: οἱ δὲ δικασταὶ ὥσπερ ἐπῳδὴν ἢ ἄλλο τι ἀλλότριον πρᾶγμα ἀκροῶμενοι. Terentius in Andria:

Pamphilum-ne adiutem an auscultem seni.

in eadem:

Ausculda pauca: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies;

nec enim aliter stat iambus, qui est quaternarius, quod etiam Donati commentum approbat.

‘Potior illius rei’ et ‘illam rem’ et ‘illa re’. Cicero in II invectivarum: rerum potiri volunt. Terentius in adelphis:

ille alter sine labore patria potitur commoda.

Virgilius in I:

Egressi optata potiuntur Troes harena.

similiter Attici: ‘ἀπήλαυσα τούτου’ καὶ ‘ἀπὸ τούτου’ καὶ ‘τούτο’. Ἰσοκράτης ἐν τῶ περὶ τῆς εἰρήνης: καὶ κατ’ ἀρχὰς μὲν ἴαπολαύωσιν, ὦν ἂν λάβωσιν, in sequentibus vero idem: δέδοικα, μὴ <18.282> πειρώμενος ὑμᾶς εὐεργετεῖν αὐτὸς ἀπολαύσω τι φλαῦρον. Πλάτων ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογία: καὶ εἰ μέντοι τι ἀπὸ τούτων ἀπήλαυον.

Illi ‘ἀποστερούμενος τούτο’ καὶ ‘τούτου’; huic simile nos dicimus ‘pascor hanc rem’ et ‘hac re’. Virgilius in II Aeneidos:

et miseros morsu depascitur artus.

idem georgicon III:

Pascuntur vero silvas et summa Lycae.

idem [in bucolico]:

Frondebis hirsutis et carice pastus acuta.

“Απογινώσκω τούτων”. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς: ἐγὼ μὲν γὰρ ἠγοῦμαι Φίλιππον, οὔτ’ εἰ τὰ πρῶτα βιασθεῖς ἄκων ἔπραξεν, οὔτ’ ἂν εἰ νῦν ἀπεγίγνωσκε Θηβαίους, τοῖς ἐκείνων ἐχθροῖς συνεχῶς ἐναντιοῦσθαι. Latini ‘despero illam rem’. Lucanus in V:

Desperare viam.

Euripides:

Οὐχ ἐσπέρας φάσ’, ἀλλὰ καὶ μεσημβρίας

<18.283> Τούτους ἀφεστήκασιν ἡμέραν τρίτην,

et nos ‘absum tertium diem’.

“Ἀπέδρα με’ καὶ ‘ἀπέδρα μου’. Πλάτων ἐν Πρωταγόρα: ὁ γὰρ τοι παῖς με ὁ Σάτυρος ἀπέδρα. Lucanus in II:

Heu demens non te fugiunt, me cuncta secuntur.

“Ἀπελθεῖν τὴν ὁδὸν’ καὶ ‘τῇ ὁδῶ’ illi dicunt, nos quoque ‘ire viam’ et ‘via’. Cicero pro Murena: hanc viam dico, ite viam. Virgilius in III Aeneidos:

longam incomitata videtur

Ire viam.

“Ἀρτίως’ καὶ ‘ἄρτι’ et praeteritum paulo ante et praesens significat apud illos. Εὐριπίδης ἐν Ἰππολύτῳ στεφανηφόρῳ:

“Ἦν ἀρτίως ἔλειπον, ἢ φάος τόδε

Οὔπω χρόνον παλαιὸν εἰσεδέσκετο.

Μένανδρος ἐν ἐπιτρέπουσιν:

† EICIMN πρὸς ἐκείνην λέγεις, ἄρτι γὰρ νοῶ.

Romani quoque adverbium ‘modo’ in eadem utriusque temporis significatione ponunt. Terentius in Phormione:

Modo apud † forum – Meum-ne?

<18.284> ‘modo’ dixit pro ‘nuper’. idem in eunucho:

modo ait, modo negat

pro ‘nunc ait, nunc negat’. Donatus in secunda arte de nomine: sed modo nomina generaliter dicimus pro ‘nunc’.

Ἰλλοῖ βάρυνομαι τούτου’ καὶ ‘ὑπὸ τούτου’ καὶ ‘τούτῳ’. Σοφοκλῆς ἐν Φιλοκτήτῃ τῷ ἐν Τροίᾳ:

Ὅσμῃς ἴμου ὅπως μὴ βαρυνθήσεσθέ μου

ἀντὶ τοῦ ‘ὑπὸ τῆς ὄσμῃς’. Κρατῖνος ἐν πλούτοις:

Μὴ ξυντυχία βαρυνόμενοι.

‘gavor hanc rem’ et ‘hac re’. Virgilius in X:

quid, si, quae voce gravaris,

Mente dares?

Ἰλλοῖ βασκαίνει αὐτόν. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος: ὁ δὲ σιγήσας ἠνίκα ἔδει λέγειν, ἂν τι δύσκολον συμβῆ, τοῦτο βασκαίνει. Virgilius in bucolico:

Nescio, quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Ἰλλοῖ βουλομένοις ἐστὶν ἡμῖν. Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος: τῆς δὲ πομπείας ταυτησὶ τῆς ἄναίδην ὕστερον, ἂν βουλομένοις <18.285> ἢ

τουτοισί, μνησθήσομαι. Sallustius in Iugurthino: neque plebi militia volenti putabatur.

Γάρ coniunctio causalis invenitur etiam repletiva vel confirmativa apud Graecos, quomodo et apud nos. Ὁμηρος:

Οὐ μὲν τις σχεδόν ἐστι πόλις πύργοις ἀραρυῖα·

Ἄλλ' ἐν γὰρ Τρώων πεδίῳ πύκα θωρηκτάων,

Πόντῳ κεκλιμένοι, ἐκὰς ἡμεθα πατρίδος αἴης:

abundat enim γάρ. Πλάτων δὲ ἢ Κάνθαρος συμμαχία οὕτως ἤρξατο:

Ἐγὼ γὰρ ὑμῖν ἦν φράσω.

Virgilius in V:

Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?

similiter 'enim' Terentius in adelphis:

† enim vero non sinam.

Γελωτοποιῶ τόνδε Attici dicunt. Terentius in eunucho:

Quin . . insuper scelus postquam † ludificatus est virginem.

Illi 'γένει ποδαπὸς' καὶ 'γένος'. Ἡρόδοτος A: Κροῖσος ἦν Λυδὸς μὲν γένος, παῖς δὲ Ἀλυάττεω. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῶν ἀτελειῶν: ἔστι γὰρ γένει μὲν ὁ Λεύκων δήπου ξένος. Virgilius <18.286> in V:

Cressa genus Pholoë gemini-que sub ubere nati.

idem in VIII:

Qui genus? unde domo? pacem-ne huc fertis an arma?

Sallustius in Catilinario: haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit.

Γὲ coniunctionem illi et pro γάρ et pro γοῦν ponunt, quomodo et nos 'at' et 'vel' et 'aut' pro 'et' et pro 'saltem'; 'vel' autem etiam pro 'valde' invenitur.

Illi 'φίλος αὐτοῦ' καὶ 'αὐτῷ', ὁμοίως 'προσήκων, ξένος, συγγενής, ἀδελφός, ἀδελφιδούς' καὶ τὰ ὅμοια. nos quoque 'similis illius' et 'illi, affinis, cognatus, hospes, necessarius, frater, fratruelis' et similia.

Δεῦρο apud illos et loco verbi et loco adverbii ponitur, quomodo et apud nos 'age' et 'agite'. Virgilius in VIII:

Quare agite, o iuvenes.

idem in III:

Heia age rumpe moras, varium et mutabile semper

Femina.

similiter:

ehodum ad me.

'Δεκαπέντε' καὶ 'πεντεκαίδεκα'; nos contra 'quindecim' et 'decem et quinque'; Livius tamen frequenter etiam sine coniunctione septemdecem et decemseptem.

Δὴ coniunctio tam completiva quam confirmativa invenitur apud illos. <18.287> Θουκυδίδης: κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο, quomodo apud nos 'vero' et 'autem'. Sallustius in Catilinario: verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur. Terentius in adelphis:

Hoc autem angiportum non est pervium.

Cicero in prognosticis:

Ast autem tenui quae candet lumine phatne.
similiter ‘nam, enim, ergo’ non solum causales vel rationales, sed etiam completivae et confirmativae inveniuntur et praepositivae et subiunctivae, quomodo δὴ apud Graecos.

Ἐξ ἐμέθεν, ἐκ σέθεν, ἐξ ἔθεν, ἐξ οὐρανόθεν. Homerus:

Ἐξ ἐμέθεν γάρ φασι κάκ’

. κρεμάσαντες.

hinc Romani omnibus casualibus assumpserunt ablativos, quia praepositio separate adverbis non praepositur: ‘a me, a te, a se, a caelo’; et quia huiusmodi casus apud Graecos in comparatione sine praepositione ponitur, hoc quoque nostri sunt imitati. Homerus:

οὐ γὰρ ἔθεν ἐστὶ χερείων:

praepositiones enim per compositionem antecedunt adverbia. ‘ἐξὸν’ ἀντὶ ‘ἐξουσίας οὐσης’. Lucanus in VII:

Omnia maiorum vertamus busta licebit,
id est ‘si licentia erit’.

Duplicant illi praepositiones. Ἴσοκράτης ἐν τῷ Αἰγυνητικῷ: ὀρώων τὴν μητέρα τὴν ἑαυτοῦ καὶ τὴν ἀδελφὴν ἐκ μὲν τῆς πατρίδος <18.288> ἐκπεπτωκυῖαν. Αἰσχίνης: ἐξορμήσας ἐκ τῆς πόλεως.

Terentius in Andria:

adeon ad eum?

Cicero in I invectiviarum: egredere ex urbe, Catilina, iubet consul. ‘ἐξέρχεται τοῦδε’ καὶ ‘τόδε’. Virgilius in XI:

et vim viribus exit.

Lucanus in VIII:

exeat aula,

Qui vult esse pius.

Solinus: postquam Tatius hominem exivit.

Illi ‘ἐξαιτούμενος τόνδε’ καὶ ‘τοῦδε’. Terentius in Andria:

et cum eo † hanc iniuriam expostulem?

Illi ‘ἐξαρκεῖ αὐτοῖς τόδε πεποιηκόσιν’ καὶ ‘πεποιηκέναι’; nos ‘sufficit illis pransis esse’ et ‘prandisse’. huic consimile esse videtur ‘fieri opus est’ et ‘facto opus est, dici opus est’ et ‘dicto opus est, pugnari opus est’ et ‘pugnato opus est’; quomodo enim illa, sic etiam ista participia pro infinitis verbis ponuntur. Sallustius in Catilinario: nam et priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est. haec autem elocutio ad passivae significationis pertinet participia sive absolutae.

Ἐξέστην τόδε’ καὶ ‘τῷδε’. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῶν ἀτελειῶν: ὑπὲρ δὲ δόξης οὐδένα ποτὲ κίνδυνον ἐξέστησαν. Ἀριστοφάνης Βατράχοις:

Εὐφημεῖν δεῖ κάξιστασθαι τοῖς † ἡμετέροις χοροῖσιν.

<18.289> huic simile est ‘propugno tibi’ et ‘te’. Staius in II Thebaidis:

hostili propugnans pectora parma.

Coniunctioni εἰ, quae est εἰάν, apud illos tam εἰάν quam εἰ redditur in partitione; pro utroque autem Romani 'si' ponunt, in redditione tamen partitionis plerumque 'sin', ut Virgilius in II georgicon:

Sin has naturae non possim accedere partes.

idem in I:

Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,
Lucidus orbis erit.

apud illos tam εἰάν quomodo et ὅπως et ἵνα et optativis coniunguntur. (Plato in Gorgia: ὥστ' εἶ μοι καὶ τὴν ἡμέραν ὅλην ἐθέλοιτε διαλέγεσθαι, χαριεῖσθαι, et Homerus:

Αἶ κέ μοι ὥς μεμαυῖα παρασταίης, γλαυκῶπι.

Αἶ κέν μοι δῶη Ζεὺς αἰγίοχος καὶ Ἀθήνη.)

similiter Romani 'si', quod tam pro εἰ quam pro εἰάν Graecis coniunctionibus, ut dictum est, accipitur. et 'dum' et 'ut', quando pro ὅπως vel ἵνα ponuntur, tam optativo quam subiunctivo inveniuntur iuncta. Virgilius in VI:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat.

idem in I:

Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem.

Terentius in Phormione:

<18.290> † Vt illum di deae-que omnes perdunt
pro 'perdant'.

Ἐαυτοῦ proprie quidem tertiae est personae, invenitur tamen et primae et secundae adiunctum. Μένανδρος:

Ἴν' οὐχ αὐτῷ παρετράφην, ἀλλὰ σοι,
τουτέστιν 'οὐκ ἐμαυτῷ'. Romani autem 'ipse' quidem, quomodo et illi τὸ 'αὐτός' et pro prima et pro secunda accipiunt persona; 'sui' vero numquam nisi tertia invenitur. Virgilius in II Aeneidos:

quae-que ipsa miserrima vidi.

Illi dicunt 'ἑαυτοὺς ἀδικοῦσι' pro 'ἀλλήλους'. Thucydides in III: ἡμέρας θ' ὑπομιμνήσκομεν ἐκείνης, ἐν ἧ τὰ λαμπρότατα μεθ' ἑαυτῶν πράξαντες, νῦν ἐν τῇδε τὰ δεινότατα κινδυνεύομεν παθεῖν. Demosthenes pro Ctesiphonte: πάντας συνέκρουεν καὶ πρὸς ἑαυτοὺς ἐτάραττεν. Romani pro hoc 'inter se' dicunt. Virgilius in I Aeneidos:

Artificum-que manus inter se operum-que laborem
Miratur.

Terentius in adelphis:

† video amare inter se.

Cicero in I invectiviarum: nefario scelere inter se coniunctos.

<18.291> 'Ego' adiungitur primae personae verbi significantiae causa tam apud Graecos quam apud nos. Demosthenes in Androtionem: τὸν πατέρα, ὡς ἀπέκτονα ἐγώ, τὸν ἐμαυτοῦ. Virgilius in III Aeneidis:

ego te, quae plurima fando

Enumerare vales, numquam, regina, negabo
Promeritam;

sin autem addatur etiam 'ipse', discretionem et significantiam auget. Virgilius in V:

Ipsa ego paulisper pro te tua munera inibo.

[‘Iuxta’ et ‘prope’ et accusativo et dativo iungitur.] Plato legum XII: νῦν δ’ ὅ τι τούτων ἐγγύτατα φιλοψυχίας ἔνεκα. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἡγησάνδρου κλήρου: τοῖς ἐγγύτατα γένους συνώκουν. Plato legum nono: ὁ τοῦ τελευτήσαντος γένει ἐγγύτατος. Virgilius in VIII:

Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem.

idem in eodem:

proprius-que periculo

Ita metus.

Cicero pro Milone: proxime deos accessit Clodius. illi dicunt: ‘ἐγγιστα τόσων’ καὶ ‘τόσοις’ καὶ ‘τόσοι’. Ξενοφῶν Ἀγησιλάῳ: ἐκεῖνος <18.292> τοίνυν, ἀγγελίας μὲν ἐλθούσης αὐτῷ, ὡς ἐν τῇ ἐν Κορίνθῳ μάχῃ ὀκτὼ μὲν Λακεδαιμονίων, ἐγγὺς δὲ μυρίων τεθνῶσι τῶν πολεμίων. καὶ ἐν τῷ Ἰππαρχικῷ: καὶ ἡ πόλις ἀνέχεται δὲ δαπανῶσα ἐγγὺς τετταράκοντα τάλαντα. Ἀλκαῖος Ἐνδυμίῳ:

Ὅτι ἡ σχεδὸν τι μῆνας ἐγγὺς τρεῖς ὅλους

Φρουρῶ τὸν Ἐνδυμίωνα.

Sallustius in Catilinario: quod tamen vitium propius virtutem erat. idem in Iugurthino: proprius mare Africum agitabant. Virgilius georgicon I:

proprius stabulis armenta tenerent.

idem in IIII:

Neu propius tectis.

idem in III:

Et faciem tauro propior;

nam genetivo neque praepositio nec adverbium loco praepositionis positum apud Latinos bene adiungitur excepto ‘tenus’, quod tam ablativo quam genetivo adiunxit Virgilius in III Aeneidos:

Pube tenus, postrema immani corpore pistrinx.

idem georgicon III:

Et crurum tenus a mento palearia pendent.

Ἐγκώμιον κατὰ τούτου. Δημοσθένης Φιλιππικῷ: ὁ καὶ μέγιστόν ἐστιν καθ’ ἡμῶν ἐγκώμιον, ἄνδρες Ἀθηναῖοι. Romani <18.293> quoque frequenter huiusmodi elocutione utuntur: ‘laudem dico in te’. Persius:

Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum

Dicere.

Ἐγκύκλια Graeci et de probabilibus et de vilissimis rebus dicunt. Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πολυεύκτου: ἀνθρώπου καὶ μισθωτοῦ καὶ πάντα τὰ ἐγκύκλια ἀδικήματα ἡδίκηκότος. hinc Romani ‘in ordinem redactus est’, hoc est ‘inter viles et abiectos connumeratus’. Livius in XXV ab urbe condita: tribuni plebis in ordinem redacti pro ‘contemptissimi habitii’; hinc etiam ‘extra ordinem’ pro ‘egregii’ dicuntur.

Attici ἐγχειρητικώτερος ἀρετῆς. Ξενοφῶν Ἑλληνικῶν Δ: ἦν δὲ οὗτος ἀνὴρ εὐχαρὶς τε οὐδὲν ἤττον τοῦ Θίβρωνος, μᾶλλον δὲ συντεταγμένος καὶ ἐγχειρητικώτερος ἀρετῆς. Virgilius in X:

Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae
Deiecit.

similiter dicimus ‘experiens causarum’, et omnia fere participialia praesentis temporis genetivis solent iungi: ‘amans illius’, similiter ‘patiens, fidens, fugitans’. Terentius in Phormione:

Erus liberalis est et fugitans litium.

Virgilius in II georgicon:

Et patiens operum parvo-que assueta iuventus.

Illi [εἰς etiam pro ἐν ponunt. Aristophanes:] ἔδοξεν αὐτῷ τόδε <18.294> πράξαντι τόδ’ ἐπεξεργάσασθαι, et rursus: ἔδοξεν αὐτῷ τόδε πράξαντα τόδ’ ἐπεξεργάσασθαι. Ἡρόδοτος Α: εἶτε καὶ αὐτῷ ἔδοξε πέμψαντι εἰς Δελφοὺς τὸν θεὸν ἐπερέσθαι. nostri quoque ‘placet illi vincenti triumphare’ et ‘placet illi vincentem triumphare’.

Illi εἰς etiam pro ἐν ponunt. Aristophanes σφηξίν:

Νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ,
καὶ Θουκυδίδης πρώτη: καθεζόμενοι εἰς τὸ Ἡραῖον ἰκέται, καὶ Ξενοφῶν οἰκονομικῶ: εἰ μὴ γε φανείης, ἔφη, καὶ εἰς τοῦτο ταῦτ’ ἐμοὶ ἐπιστάμενος, καὶ Ἡρόδοτος: τὸν θρόνον, εἰς τὸν προκαθίζων ἐδίκαζεν. frequenter et Romani ‘in’ praepositionem, quae εἰς quidem significat accusativo praeposita, ἐν vero ablativo, accusativo pro ablativo iungentes hoc imitantur. Terentius in eunucho:

in quem exempla fient?

pro ‘in quo’. idem in adelphis:

vereor . in os te laudare amplius

<18.295> pro ‘in ore’. Cicero invectiviarum I: si minus in praesens tempus . . . at in posteritatem impendat.

Thucydides I: καὶ τότε αἰσθάνοιντο αὐτοὺς μέλλοντας καὶ ταύτη κωλύσειν. Ἰσοκράτης παραινέσεις: οὕτω γὰρ τὴν ἐκείνων διάνοιαν αἰσθήσει καὶ σαυτὸν οὐ καταφανῆ ποιήσεις. Lucanus in III:

non sentiet ictus.

Virgilius in III Aeneidos:

sensit enim simulata mente locutam.

Demosthenes Philippicarum III: ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν εἰς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω. Virgilius in bucolico:

Audiat haec tantum vel qui venit ecce Palaemon.

idem in XII:

Audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit.

nec licet aliter Latinis nisi accusativo supra dicta verba coniungere: ‘sentio illum, audio illum’, quomodo et ‘curo, patior, impetro, impedio’, quae Graeci etiam genetivis solent sociare vel dativo.

Isocrates panegyrico: οὐκ ἀμνημονῶν οὔτε ἐκείνων. Demosthenes in Philippicis: οὔτε ἀμνημονεῖ τοὺς λόγους οὔτε τὰς ὑποσχέσεις, ἐφ' αἷς τῆς εἰρήνης ἔτυχεν. Virgilius in III Aeneidos:

nec meminisse pigebit Elissae.

<18.296> idem in bucolico:

numeros memini, si verba tenerem.

Isocrates in Archidamo: ἐνθυμηθέντες, ὅτι κάλλιόν ἐστιν ἀντὶ θνητοῦ σώματος ἀθάνατον δόξαν ἀντικαταλλάξασθαι. Demosthenes ἐν τῇ περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου ἐπιστολῇ: οὔτ' ἐνηλλαξάμην ἀντὶ ταύτης οὐδέν. Sallustius in Iugurthino: pro metu repente gaudium mutatur, id est 'metus gaudio mutatus est'. Horatius in I carminum:

saepe Lucretilem

Mutat Lycaeo

pro 'Lycaeo mutat Lucretili'.

Demosthenes ἐν τῷ κατὰ Αἰσχίνου περὶ τῆς παραπροσβείας: οὔτε τῶν τὰ τρόπαια καὶ τὰς ναυμαχίας λεγόντων ἀνέξεσθε. idem pro Ctesiphonte: εἰ μὲν ἴστε με τοιοῦτον ὄντα, οἶον οὗτος ἠτιᾶτο, – οὐ γὰρ ἄλλοθί που βεβίωκα ἢ παρ' ὑμῖν, – μηδὲ φωνὴν ἀνάσχησθε. Lucanus in I:

patimur-que volentes

Exilium.

nec aliter dicunt Latini. (Homerus:

Εἷριά τε ξαίνειν καὶ δουλοσύνην ἀνέχεσθαι.)

Xenophon apomnemoneumatōn I: ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἐπεδείκνυεν. Virgilius in bucolico:

<18.297> Amor non talia curat.

nec aliter dicimus.

Romani 'impedio illum'. Xenophon in eodem: ταύτην γὰρ τὴν ἕξιν ὑγιεινὴν τε ἱκανῶς εἶναι καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν οὐκ ἐμποδίζειν ἔφη. Lucanus in III:

quo tempore primas

Impedit ad noctem iam lux extrema tenebras.

sic omnes auctores.

'Potior illius' et 'illum' et 'illo'. Αἰσχίνης Τηλαύγει: τῆς σῆς διανοίας σπουδαίας γενομένης ἀγαθόν τι ἀπολαυσώμεθα. idem: καὶ Σόλωνος, ἔφην ἐγώ, τοῦ τοὺς νόμους θέντος ὁμοίως κατατεθνεῶτος ἔτι καὶ νῦν μεγάλα ἀγαθὰ ἀπολαύομεν. Terentius in adelphis:

ille alter sine labore patria potitur commoda.

Cicero invectiviarum II: rerum potiri volunt. Virgilius in I:

optata potiuntur Troës harena.

'Impetro illam rem' dicimus, sicut et Attici. Eupolis ἐν δήμοις:

Λέγε τοῦ 'πιθυμῆις, καὶ οὐδὲν ἀτυχῆσεις ἐμοῦ.

idem Προσπαλτίους:

πάντα γὰρ τυχῶν ἄπει.

'Prospicio' et 'provideo illi' et 'illum'. Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ <18.298> Κτησιφῶντος: ὁ μηδεπώποτε μήτε τοὺς πολεμίους ἀντιβλέψας.

Virgilius:

Prospexit longe venientem.

idem in I:

et alto

Prospiciens.

Terentius in hecyræ:

tibi prospexi.

‘Memini illius rei’ et ‘illam rem’. Demosthenes ἐν τῷ κατὰ Αἰσχίνου: ἵνα τὴν ὅτε ἀδωροδόκητος ὑπῆρχεν προαίρεσιν αὐτοῦ τῆς πολιτείας ἀναμνησθέντες, ὡς προβεβλημένη καὶ ἄπιστος ἦν πρὸς τὸν Φίλιππον. Homerus Iliados I:

Μέμνημαι τόδε ἔργον ἐγὼ νέον, οὔτι πάρος γε.

Virgilius in III:

nec meminisse pigebit Elissæ.

idem in bucolico:

numeros memini, si verba tenerem.

‘Attinet ad illam rem’, ἀνήκει πρὸς τόδε. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Μικίνου φόνου: καὶ πρὸς ἑτέρας αἰτίας ἀνήκειν δοκοῦντα παραλείψεται.

Terentius in eunucho:

Scin tu turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te attinere hanc

Omnem rem?

<18.299> Ἄξιοι μισεῖσθαι τῇ πόλει Hyperides ἐν τῷ κατὰ Πασικλέους. pro hoc Latini dicunt ‘dignus est odio esse urbi’ et ‘dignus est qui odio sit urbi’. Virgilius:

dignus patriis qui laetior esset

Imperii et cui pater haud Mezentius esset.

‘Ἀπήγγειλα πρὸς τὴν βουλήν’ καὶ ‘τῇ βουλή’ dicunt illi. Cicero Verrinarum II: nuntio tibi, inquit, hodiernis comitiis te esse absolutum.

Illi ‘ἀπέχομαι τούτου’ καὶ ‘τοῦτο’. nos quoque ‘abstineo illius’ et ‘illum’ et ‘illo’. Platon πολιτειῶν primo: οὐκ ἀπεσχόμεν τὸ μὴ οὐ διὰ τούτων ἐλθεῖν. idem in II: καὶ θέλοι ἀπέχεσθαι τῶν ἀλλοτρίων. Terentius in adelphis:

non manum abstines, mastigia?

Horatius carminum III:

Mox, ubi lusit satis, abstineto,

Dixit, irarum calidae-que rixae.

Virgilius in VII:

Abstinuit tactu pater aversus-que refugit

Foeda ministeria.

Demosthenes: καὶ περιῆν Θηβαίους τεθνάναι τῷ δέει τὸν Φίλιππον. <18.300> huic simile est illud Virgilianum:

fremit arma iuventus,

et in bucolico:

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Attici dicunt ‘ἀποστερούμενος τοῦτο’ καὶ ‘τούτου’. huic simile est, ‘pascitur illam rem’ et ‘illa re’. Virgilius in II Aeneidos:

et miseros morsu depascitur artus.

idem in III georgicon:

Pascuntur vero silvas et summa Lycae.

idem in eodem:

Frondebis hirsutis et carice pastus acuta.

idem in bucolico:

Hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes

Hyblaeis apibus florem depasta salicti.

Horatius in III carminum:

Me nunc Thressa Chloë regit

Dulces docta modos et citharae sciens.

Homerus:

πολέμων εὖ εἰδώς.

Euripides:

Οὐχ ἔσπερας φάσ’, ἀλλὰ καὶ μεσημβρίας

Τούτους ἀφεστήκασιν ἡμέραν τρίτην.

huic simile est illud Virgilianum in VIII:

<18.301> Parte alia Marti currum-que rotas-que volucres

Instabant.

idem etiam dativo adiunxit in I Aeneidos:

instans operi regnis-que futuris.

Ἐκαθῆντο τρεῖς ὅλους μῆνας ἐν Μακεδονίᾳ. Virgilius in I Aeneidis:

una cum gente tot annos

Bella gero.

idem in VIII:

Omne aevum ferro teritur.

Nos dicimus ‘despero illum’. Lucanus in V:

Desperare viam et vetitos convertere cursus

Sola salus.

Attici quoque, ut Demosthenes: ἐγὼ μὲν γὰρ ἠγοῦμαι Φίλιππον, οὔτ’ εἰ τὰ πρῶτα βιασθεῖς ἄκων ἔπραξεν, οὔτ’ ἂν εἰ νῦν ἀπεγίγνωσκε Θηβαίους τοῖς ἐκείνων ἐχθροῖς συνεχῶς ἐναντιοῦσθαι.

Illi ἀπέδρα με et ἀπέδρα μου. Platon in Protagora: ὁ γὰρ τοι παῖς με ὁ Σάτυρος ἀπέδρα. similiter Romani ‘fugio illum’ et ‘ab illo’. Lucanus in II:

Heu demens! non te fugiunt, me cuncta secuntur.

Virgilius in III:

Effugimus scopulos Ithacae, Laërtia regna.

Attici dicunt ‘ἄπιστος τούτου’ καὶ ‘πρὸς τοῦτον’. similiter nos ‘perfidus’ et ‘infidus’ et ‘fidus isti’ et ‘ad istum’. Lucanus in VII: <18.302>

Quamque fuit laeto per tres infida triumphos,

Tam misero fortuna minor.

Virgilius in VIII:

hic Dardanio Anchisae

Armiger ante fuit fidus-que ad limina custos.

Illi 'ἀπελθεῖν τὴν ὁδὸν' καὶ 'τῇ ὁδῶ'. sic etiam Latini, ut Cicero pro Murena: hanc viam dico, ite viam. Virgilius in III Aeneidos:

longam incomitata videtur

Ire viam.

Illi 'ἀρέσκω αὐτὸν' καὶ 'ἀρέσκομαι αὐτῶ'. nos 'placo illum' et 'placor ab illo' vel 'placor illi' et 'placeo illi'.

Attici 'ἄρχω τοῦδε' καὶ 'τόδε' ἐπὶ τοῦ 'κατάρχω'. Sophocles Λακαίνοις:

Θεοὶ γὰρ οὐποτ', εἴ τι χρὴ βροτὸν λέγειν,

Ἄρξασι Φρυξὶ τὴν κατ' Ἀργείους ὕβριν,

Ἐυναινέσονται· ταῦτα μὴ μάχου βία.

nos quoque soli accusativo 'incipio' et 'coepio' verba coniungimus. Virgilius in bucolico:

Incipe Maenalius mecum, mea tibia, versus;

'impero' vero, quando τὸ 'ἄρχω', id est ἡγεμονεύω significat, dativo coniungitur, quando vero τὸ 'προστάσσω', dativo simul et accusativo. Virgilius in I georgicon:

Exercet-que frequens tellurem atque imperat arvis.

Frequenter illi εἰς praepositionem pro ἐν ponunt. Aristophanes σφηξίν:

<18.303> Νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ

et Thucydides πρώτη: καθεζόμενοι εἰς τὸ Ἡραῖον ἰκέται et Xenophon oeconomico: εἰ μὴ γε φανείης, ἔφη, καὶ εἰς τοῦτο ταῦτα ἐμοὶ ἐπιστάμενος et Herodotus: θρόνον, εἰς τὸν προκαθίζων ἐδίκαζεν. frequenter et Romani 'in' praepositionem accusativo pro ablativo iungentes hoc imitantur. Terentius in eunucho:

in quem exempla fient?

pro 'in quo'. idem in adelphis:

a vereor . in os te laudare amplius,

pro 'in ore'.

Attici 'εἰσῆλθὲν με τόδε τι' καὶ 'εἰσῆλθὲν μοι'. Isocrates ἐν τῶ περὶ τῆς εἰρήνης: περὶ ἧς μηδεὶς πώποτε λογισμὸς αὐτοῖς εἰσῆλθεν. Platon πολιτείας primo: εἰσέρχεται αὐτῶ δέος καὶ φροντίς. Lucanus in X:

Intravit Cleopatra domum.

Virgilius in X:

Aeneae subiit mucronem ipsum-que morando

Sustinuit.

idem in VIII:

Iam-que propinquabant portis muro-que subibant.

idem in VI:

Iam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.

Illi ἐκκέκοπται τὸν ὀφθαλμόν. Virgilius huic simile in I:

<18.304> Nuda genu nodo-que sinus collecta fluentes.

Frequenter εἰ pro ἐάν ponunt auctores Graecorum. Homerus:

Εἴ τ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἡῶ τ' ἠέλιόν τε,

εἴ τε pro ἐάν τε. idem:

Ἄρσαντες κατὰ θυμόν, ὅπως ἀντάξιον ἔσται·

Εἰ δέ κε μὴ δώωσιν

id est εἰ ἂν μὴ δώωσιν. Romani et pro εἰ et pro εἰάν 'si' ponunt.

Εἰπέ μοι dicunt Attici etiam ad multos. huic simile Terentius in eunucho:
aperite aliquis actutum.

idem in eodem:

Nescio quid † absente aliquid nobis domi turbatum est.

Illi εἰς Διονύσου. Terentius in adelphis:

ubi ad Dianae † perveneris.

Platon πολιτείας III: ὅτι εἰς ἕκαστος ἐν μὲν ἐπιτήδευμα καλῶς ἐπιτηδεύει, πολλὰ δὲ οὐ. Sallustius in Catilinario: unumquemque nominans laudare. Cicero: singulas uniuscuiusque domos.

Participia pro verbis ponunt Attici, quod frequenter faciunt Latini.

Xenophon Ἰέρωνι: 'ἐπεὶ δὴ ταῦτα αὐτοῦ ἤκουσεν, ὁ Σιμωνίδης <18.305> εἶπεν· ἔοικεν τῷ ἔργῳ μέγα τι εἶναι ἢ τιμῇ, ἧς ὀρεγόμενοι οἱ ἄνθρωποι ἀντὶ τοῦ ὀρέγονται'. Phroenichus:

Ἔφιλτατ' ἀνδρῶν, μή μ' ἀτιμάσας γένη,

pro μή με ἀτιμάσης. Terentius in Andria:

Quid meritis?

pro 'quid meruisti?' hoc Romani faciunt in omnium passivorum et deponentium et communium praeteritis, per quae participiis utuntur pro verbo adiungentes verbum substantivum; frequenter tamen et per ellipsin eius per se participia loco verborum funguntur, ut Virgilius in I Aeneidos:

Certe hinc Romanos olim volventibus annis,

Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucris,

Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,

Pollicitus,

deest 'es'. Cicero pro Ligario: queritur se prohibitum, deest 'esse'.

Illi εἰς ὀρθὸν φρονῶ et εἰς ταύτην πρόθεσιν. Sallustius: in hunc modum disseruit pro 'hoc modo'.

Illi μυστήρια αὐτὴν ἤγεν pro εἰς μυστήρια. Virgilius in I:

Italiam fato profugus

pro 'in Italiam'.

Illi εἰς ἐν pro ὁμοῦ. nos quoque 'in unum' pro 'simul'. Sallustius in Catilinario: in unum convocat.

Illi 'εἰς ὅσον ἡλικίας ἤκει' καὶ 'οὐδενὸς χεῖρον'. nos quoque 'hoc aetatis' et 'nihilo minus'.

<18.306> Illi ὅτι μάλιστα. Terentius:

† cum maxime Parmenone opus est.

Ἐκάτεροι de plebe duplici apud illos dicitur. simile Virgilius in I:

et saevum ambobus Achillen.

Illi 'ἐκ παντὸς τρόπου' et 'παντὸς τρόπου' et 'πάντα τρόπον' καὶ 'κατὰ πάντα τρόπον', nos vero 'omnimodo'.

Ἐκαστος et ἕκαστοι de duobus non dicunt, quomodo nec apud nos 'quisque'. Homerus:

λαοὶ δὲ θοὰς ἐπὶ νῆας ἕκαστοι
Ἔσκιδναντ' ἰέναι

et:

οἱ δὲ ἕκαστος ἔλων δέπας ἀμφικύπελλον
Σπείσαντες.

Ἐκάθισεν pro ἑκαθέσθη καὶ ἐποίησεν tam passivam quam activam habet significationem. et nos multa habemus variae significationis verba, ut 'tuo, moror, propinquo' tam absolutam quam activam habent significationem.

Ἐλπίζω non solum de bono illi dicunt. Herodotus I: ἐλπίζων <18.307> σιτοδείην τε εἶναι ἰσχυρὴν καὶ τὸν λεῶν τετρῦσθαι ἐς τοῦσχατον κακοῦ. Virgilius in III Aeneidos:

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Ἐλαττοῦμαι τούτοις καὶ ταῦτα Atticum est, quomodo etiam apud nos inveniuntur 'doleo' et 'gaudeo', 'laetor his' et 'haec'. Sallustius in Catilinario: ea populus laetari et merito dicere fieri. Virgilius in bucolico:

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.

Sallustius in Catilinario: et quasi dolens eius casum.

Attici ἔλαβε δίκην tam de accusatore quam de reo dicunt. similiter nos. Virgilius in III Aeneidos:

Vlta virum poenas inimico a fratre recepi.

idem in XII:

Pallas te hoc vulnere, Pallas

Immolat et poenas inimico ex sanguine sumit.

idem in II Aeneidos:

Id-que audire sat est, iam dudum sumite poenas.

Attici ἔλαττον τόσων καὶ τόσοις. similiter nos 'minor tot annos'; nam 'minor triginta annorum' cum dicimus, ad genetivum deest 'illo qui est triginta annorum', ἥπτων τούτου τριάκοντα ἔτῶν, et similia. Horatius 'maior Neronum' dixit in III carminum:

Deiecit acer plus vice simplici

Maior Neronum,

subaudiendum enim est 'aetate'. idem 'minor fratrum' dixit pro 'unus <18.308> fratrum qui minor est'. Lucanus in III:

et reppulit aestus,

Fortior Oceani,

intellegitur 'aestibus'. idem in I:

Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae;

subaudiendus est hic quoque ablativus 'ara'. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Σπουδῖαν ὑπὲρ προικός: ἔπειτα ὡς ἔλαττον ταῖς χιλίαις ἑκομισάμην.

Ἐμποδῶν pro 'in praesenti' dicunt. Thucydides VIII: τὰς ἐμποδῶν αἰτίας μόνον ἐπισκοπεῖν. Terentius in adelphis:

Istud est sapere, non quod ante pedes modo est

Videre, sed etiam illa quae futura sunt

Prospicere.

Attici 'ἐμποδίζειν ἡμᾶς' καὶ 'ἡμῖν'. Ἰσοκράτης πρὸς Ἀντίπατρον: ἔτι δὲ καὶ τὸ σωματίον οὐκ εὐκρινὲς ὄν, ἀλλ' ἔχον ἄττα σίνη, νομίζειν ἐμποδίζειν αὐτὸν πρὸς πολλὰ τῶν πραγμάτων. Romani quoque 'impedio illum', ut iam ostendimus.

('Iustum' pro vero et 'verum' pro iusto frequenter tam nos quam Attici ponimus. Sophocles Αἴαντι:

δίκαιος γόνος

<18.309> pro 'verus'. [nostri quoque 'verum' pro iusto et 'iustum' pro vero frequenter ponunt.] Virgilius in XII:

Quaecumque est fortuna, mea est, me verius unum

Pro vobis foedus luere et decernere ferro,

verius dixit pro 'iustius'.)

Attici 'ἐμμένω τούτοις' καὶ 'ἐν τούτοις, ἐμπέπλεγμαι τούτοις' καὶ 'ἐν τούτοις'. nos quoque 'permaneo his' et 'in his, implicor his' et 'in his'.

'Ἐμβλέπω αὐτῷ' καὶ 'αὐτὸν' καὶ 'εἰς αὐτόν'. sic et nos 'prospicio illi' et 'illum' et 'in illum'. Virgilius in I:

et alto

Prospiciens.

Terentius in heautontimorumenos:

tibi prospexi.

Aristophanes in Babyloniiis:

Ἐννεύει με φεύγειν οἴκαδε.

nos quoque similiter 'adnuit me fugere domum'. et ad dativum dicunt tam illi quam nos: ἐννεύει μοι ποιεῖν, 'adnuit mihi facere'.

Attici ἔνδον pro εἴσω et ἔνδοθεν pro ἔνδον ponunt, adverbium quae sunt in loco pro ad locum et quae sunt ad locum pro in loco ponentes. nostros quoque auctores invenimus huiusmodi figura utentes. Virgilius in III Aeneidos:

eiectum litore, egentem

Suscepi,

pro 'ad litus'.

Illi 'ἐγκατέσκηψεν εἰς τόνδε τὸν τόπον' καὶ 'ἐν τῷδε' καὶ 'τῷδε' καὶ 'περὶ τόνδε'. nos quoque 'astitit illum locum' et 'illo' et 'illi' et 'circa illum'. Virgilius in V:

<18.310> Olli caeruleus supra caput astitit imber.

Isocrates in Ariopagitico: ἐν ταῖς ἀληθρίσιν, pro 'in loco, in quo habitant tibicines'. huic simile Cicero in I invectiviarum: dico te priore nocte venisse inter falcarios, id est 'in locum, ubi sunt falcarii'.

Ἐνεγκὼν ὄνομα Attici dicunt pro ἔχων. Virgilius in III Aeneidos:

Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis

Tu-que puer-que tuus.

Cratinus in poetina:

Ἀτὰρ ἐννοοῦμαι δῆτα τὰς μοχθηρίας

τῆς ἠλιθιότητος τῆς ἐμῆς.

similiter nos 'cogito quae sunt difficultates stoliditatis meae'.

Illi ἐνιοί τινες. nostri quoque 'certi quidam'.

Τὸ ἔνεκα est quando praetermittunt Attici. Thucydides in principio: καὶ τὰς αἰτίας προσένραψα πρῶτον τοῦ μή τινα ζητῆσαί ποτε, ἐξ ὅτου τοσοῦτος πόλεμος τοῖς Ἕλλησι κατέστη. Romani quoque frequenter hac praetermissione utuntur in genetivo nominum, quae supinorum terminationes habent, ut ‘populi servandi laborat, reipublicae defendendae periclitatur’, deest ‘causa’. Sallustius in Iugurthino: quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit. Thucydides III: καὶ αὐθις ἐνὸς δέον τριακοστῷ ἔτει pro <18.311> ἐνὸς δέοντος. et δυοῖν δέον pro δυοῖν δεόντων dicunt. nostri ‘undeviginti, undetriginta, duodeviginti, duodetriginta’ et similiter per ceteros denarios numeros. Horatius ‘undeoctoginta’ dixit in II sermonum:

unde

Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
hoc est ‘octoginta annos aetatis habens, unde unum’.

Attici ἐναντίον τοῦδε pro ‘coram illo’. Terentius in Andria:

† Id-que gratum fuisse adversum te habeo gratiam.

Demosthenes ἐν τῷ κατ’ Αἰσχίνου: ‘αὐτὸς ἐξηγεῖτο τὸν νόμον τῷ κήρυκι’ ἀντὶ τοῦ ὑπηγόρευεν’. Romani ‘verbis praeire’ et ‘iurare in verba illius’ id est ‘quomodo ille dictaret’. Horatius in epodo:

In verba iurabas mea

Artius atque hedera procera astringitur ilex.

Attici ἐντρέπομαι τοῦτο καὶ ‘τούτου’. hinc Romani ‘pudet me istius rei’ dicunt. (Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ μυστηρίων: τῆς μὲν τύχης, ἣ ἐχρησάμην, δικαίως ἂν ὑφ’ ὑμῶν ἐλεηθείην. hinc Romani ‘miserere tui’.) Platon Κρίτωνι: νῦν δὲ οὔτε ἐκείνους τοὺς λόγους αἰσχύνει, οὔτε ἡμῶν τῶν νόμων ἐντρέπει. idem in Phaedro: οὔτε κέντρων ἡνιοχικῶν οὔτε μάστιγος ἔτι ἐντρέπεται. Euripides in Alcmaone:

Εἰ τοῦ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπη πατρός.

<18.312> Sophocles in Oedipode ἐπὶ Κολωνῷ:

Ἦ καὶ δοκεῖτε τοῦ τυφλοῦ τινα ἐντροπήν

Ἦ φροντίδα ἔξειν.

idem in tyranno:

μήτε παρεντραπής τόδε.

Alexis Ἐλένης ἀρπαγῆ:

Ἀκόλαστός ἐστι, τὴν δὲ πολιὰν οὐκ ἐντρέπεται.

Terentius in Phormione:

non pudet

Vanitatis?

idem in adelphis:

fratris me quidem

Pudet piget-que.

idem in Phormione:

ut nihil pudet!

et nota, quod tam ad reverentiam honestae personae quam ad pudorem turpis refertur supra dicti constructio verbi, ut ‘pudet me patris’ pro ‘erubesco patrem’ et ‘pudet me vanitatis’ pro ‘erubesco propter vanitatem’.

Attici 'ἐνδέξια' καὶ 'ἐναρίστερα' antepaenultimo acuto adverbialiter proferunt. similiter nos 'dextra illum' et 'sinistra illum'. Sallustius in Iugurthino: dextra Adherbalem assedit.

(Homerus:

Ἄλλ' ἄνα

pro ἀνάστηθι. Virgilius in III Aeneidos:

<18.313> O mihi sola mei super Astyanactis imago,
super pro 'superes'.)

Attici 'ἐξέστησαν τόδε' καὶ 'τοῦδε' καὶ 'τῶδε'. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῶν ἀτελειῶν: χρήματα μὲν γὰρ πλείστα ποτε κτησάμενοι πάντα ὑπὲρ φιλοτιμίας ἀνήλωσαν, ὑπὲρ δὲ δόξης οὐδένα ποτὲ κίνδυνον ἐξέστησαν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἰδίας οὐσίας προσαναλίσκοντες ἐτέλουν. Ἀριστοφάνης Βατράχοις:

Εὐφημεῖν χρὴ κάξιστασθαι τοῖς ἡμέτεροις χοροῖσιν,

Ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων ἢ γνώμην οὐ καθαρεύῃ.

Solinus in memorabilibus: Tatius hominem exivit. Virgilius in V:

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Attici 'ἐπιστατήσῃ ὑμῶν' καὶ 'ὑμῖν'. Θεόπομπος στρατιώτισιν:

Ἡ Θρασυμάχου . ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσῃ.

Πλάτων νόμων δυοδεκάτῳ: γυμνικῶν τε καὶ ἵππικῶν ἄθλων ἐπιστάτας. Κρατῖνος Θράτταις:

Τὴν πέρυσι βουλήν ἐφεστῶς.

Romani 'insto illi' et 'illum'. Virgilius in I Aeneidos:

instans operi regnis-que futuris.

idem in VIII:

<18.314> Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant.

idem in VIII:

Parte alia Marti currum-que rotas-que volucres

Instabant.

Attici 'ἐπιτροπεύειν αὐτὸν' καὶ 'αὐτοῦ'. nostri accusativo soli adiungunt hoc. Virgilius in V:

Tutatur favor Euryalum.

Attici 'ἐπεβάλοντο τῆδε τῆ πράξει' καὶ 'τῆνδε τὴν πράξιν'. Romani 'conor illam rem'. Virgilius in VIII:

ac conantem plurima frustra.

Ἐπιδείξεις ποιῶν καλῶς' καὶ 'ποιεῖν καλῶς'. similiter Latini 'ostendes faciens bene' et 'facere bene'. Virgilius in II Aeneidos:

sensit medios illapsus in hostes

pro 'se illapsus esse'. Stadius in VII Thebaidos:

Non aliter caelo nocturni turbine Cori

Scit peritura ratis

pro 'scit se perituram'.

Illi 'ἐπιδεδίκασται τοῦδε' et nos 'damnatus pecuniarum repetundarum'.

Attici 'ἐπιλέλησμαι τοῦδε' καὶ 'τόδε'. Homerus:

τοῦδε οὐκ ἐπιλήσομαι.

Ξενοφῶν παιδείας σ': ὅπως, εἴ τις τι εἶη ἐπιλεησμένος, μετέλθοι.
Menander κυβερνήταις:

ἐπελάθετο αὐτὸν ὅστις εἶη.

Virgilius in II Aeneidos:

Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios.

<18.315> idem in III Aeneidos:

Oblitus-ve sui est Ithacus discrimine tanto.

Illi 'ἐπεξιέναι τῷ πράγματι' καὶ 'τὸ πρᾶγμα'. nos 'exequi rem' solum.

'Ἐπιχωριάζει εἰς Ἀθήνας' καὶ 'ἐν Ἀθήναις'. et nos 'habitat Romam et Romae'. Virgilius in VIII:

Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,

Quis deus, incertum est, habitat deus.

idem in III Aeneidos:

nondum Ilium et arces

Pergameae steterant, habitabant vallibus imis.

(Simile est huic 'eicitur in litus' et 'litore' et 'litori'. Virgilius in III Aeneidos:

eiectum litore, egentem

Suscepi.

idem in III:

volat hasta Tago per tempus utrumque

pro 'in Tagum'.)

'Ἐπὶ τούτου τοῦ χωρίου' καὶ 'ἐπὶ τούτῳ ἔστησαν τρόπαιον'. Latini frequenter, et maxime historici, ablativis utuntur cum praepositione pro genetivis et dativis 'in loco' significationem habentibus, ut 'in Tyro' pro 'Tyri' et 'in Taurominio' pro 'Taurominii' et 'in sorte' pro 'sorti'.

Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης: πολλῶν ἐτῶν οὐδὲ ἰδεῖν αὐτοῖς ἐξεγένετο τὴν ἀρχὴν αὐτῶν. ἐτῶν τοσοῦτων dicunt et ἔτεσι τοσοῦτοις. nostri accusativo et ablativo, inveniuntur tamen et genetivo usu, ut Cicero in I invectivarum: qui dies futurus esset ante <18.316> diem sextum Kalendarum Novembrium, Kalendarum pro 'ante Kalendas'. cuius testes sunt commentatorum probatissimi. Virgilius in I Aeneidos:

una cum gente tot annos

Bella gero.

et 'tot annis' dicitur. 'ἔτη γεγρονὼς τοσαῦτα' καὶ 'ἐτῶν τοσῶνδε'. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ Διογένους: ἦν γὰρ αὐτῇ υἱὸς ἐκ τοῦ προτέρου ἀνδρὸς ἐτῶν γεγρονὼς ἑκκαίδεκα. Terentius in eunucho:

At ille alter venit [ad nos] annos natus sedecim.

Attici 'ἔτυχε τιμωρίας' ὁ διώκων καὶ ὁ φεύγων. similiter Latini. Virgilius in III Aeneidos:

Ulta virum poenas inimico a fratre recepi.

Illi 'εὐδαιμονίζω σοῦ τόδε' καὶ 'εὐδαιμονίζω σε τοῦδε'. nostri quoque auctores hanc saepissime imitati sunt figuram. Virgilius in XI:

Iustitia-ne prius mirer belli-ne laborum.

Iuvenalis in V:

Et pater ergo animi felices credit avaros.

‘Εὔχομαι τοῖς θεοῖς’ καὶ ‘πρὸς τοὺς θεοὺς’ καὶ ‘προσεύχομαι τοὺς θεοὺς’. et nos ‘supplico te’ et ‘tibi’. Terentius in Andria:

Ipsum hunc orabo, huic supplicabo, amorem huic narrabo meum.

(Accius:

Elatis manibus Priamus supplicat Achillem.)

<18.317> ‘precor’ tamen et ‘oro’ et ‘obsecro’ et ‘quaeso’ accusativo adiunguntur in multis locis.

(Attici εἰς καλὸν ἔστρεψεν. Virgilius in III georgicon:

Et totae solidam in glaciem vertere lacunae.

idem in bucolico:

Hos illi, quod non bene vertat, mittimus haedos.)

Attici ‘ἡγείσθαι τῆς πόλεως’ καὶ ‘τῇ πόλει’. Πλάτων Μένωνι: οὐκ ἄρα σοφία τινὶ οὐδὲ σοφοὶ ὄντες οἱ τοιοῦτοι ἄνδρες ἡγούντο ταῖς πόλεσιν, οἱ ἀμφὶ Θεμιστοκλέα τε καὶ οὖς ἄρτι Ἄνυτος ὅδε ἔλεγεν. hinc nos ‘praecipio urbi’ et ‘praefectus urbi’ et ‘urbis’. sed quando dativo adiungitur, participium est, quando vero genetivo, nomen, quomodo ‘amans illius’ nomen, ‘amans’ autem ‘illum’ participium, et ‘natus illius’ nomen, ‘natus’ vero ‘ab illa’ vel ‘illi’ participium. et fere omnia participiis similia nomina diversa casuum constructione discernuntur. participia enim necesse est verborum suorum servare constructiones.

Attici ‘ἡράμην πόλεμον πρὸς τοῦτον’ καὶ ‘τούτῳ’. Πλάτων περιαλαγῆ:

Ὅς πρῶτα μὲν Κλέωνι πόλεμον ἡράμην.

tale est illud Virgilianum in VIII:

volat hasta Tago per tempus utrumque,

pro ‘in Tagum’.

Ἡμερῶν τόσων τόδε ἔσται. Δημοσθένης κατὰ Αἰσχίνου: δυοῖν <18.318> ἢ τριῶν ἡμερῶν, οἷς μὲν ἐχθρὸς ἦκει, αὐτὸν φίλον γεγεννημένον, οἷς δὲ φίλος, τούναντίον. similiter per ellipsin. Cicero in II invectivaram: sed triduo tamen audietis pro ‘intra triduum’.

Ἦσθηται τὴν στολὴν ταύτην’ καὶ ‘ταύτῃ’, ‘indutus vestem’ et ‘veste’. Virgilius in VII:

Ipse pedes, tegimen torquens inmane leonis

Terribili inpexum saeta cum dentibus albis

Indutus capiti sic regia tecta subibat.

idem in XI:

Harum unam iuveni supremum maestus honorem

Induit.

Terentius in eunucho:

Meam ipse induit.

idem in eadem:

Et ea est indutus?

Ἦ ὡς κάλλιον αὐτοῖς. Πλάτων πολιτείας III: ‘μαλακώτεροι αὐ γίνονται ἢ ὡς κάλλιον αὐτοῖς’ ἀντὶ τοῦ ‘ἢ ὡς προσήκει’. similiter nos

‘molliores fiunt quam ut melius illis’. huic simile est illud Sallustianum in Iugurthino: Romanos sicut plerosque remoto metu laxius licentius-que futuros.

Demosthenes Φιλιππικῶν III: ὑπῆρχον Ὀλύμπιοι δύνάμιν τινα κεκτημένοι . . . οὔτε Φίλιππος ἐθάρρει τούτους οὔτε οὔτοι Φίλιππον. Stautius in II Thebaidos:

<18.319> Martis-que e semine Theron

Terrigenas confisus avos.

‘θαρρῶ τοῦτο’ καὶ ‘τούτῳ’. nos ‘fido huic rei’ et ‘hac re’. Virgilius in XI:

dum Troia temptat

Castra fugae fidens et caelum territat armis.

idem in VII:

Moliri iam tecta videt, iam fidere terra.

Attici ‘θαυμάζειν αὐτοὺς’ καὶ ‘αὐτῶν’ καὶ ‘αὐτοῖς’. Latini quoque ‘miror illum’ et ‘illius’ et ‘illo’. Virgilius in II Aeneidos:

Et molem mirantur equi, primus-que Thymoetes.

idem in XI:

Iustitia-ne prius mirer belli-ne laborum.

Ἰδίους αὐτῶν ἀγαθοῖς. Isocrates πανηγυρικῶ: καὶ μᾶλλον χαίρουσιν ἐπὶ τοῖς ἀλλήλων κακοῖς ἢ τοῖς αὐτῶν ἰδίους ἀγαθοῖς. huic simile est illud Terentianum in adelphis:

Suo sibi gladio hunc iugulo.

Attici ‘κατῆρχε τοῦ λόγου’ καὶ ‘τὸν λόγον’. Πλάτων: θαυμαστὸν γάρ τινα, ὦ Κρίτων, ἀνὴρ κατῆρχε λόγον, οὐ σοι ἄξιον ἀκοῦσαι. Latini accusativo ‘incipio’ et ‘coepio’ et ‘inchoo’ et ‘ineo’ adiungunt. Virgilius in bucolico:

Incipe Maenalius mecum, mea tibia, versus.

idem in VI:

<18.320> Vix ea fatus erat, coepit cum talia virgo.

idem in eodem:

nocturnas inchoat aras.

Attici ‘κατακροᾶσθαι τούτου’ καὶ ‘τοῦτον’. Εὐπολις Προσπαλτίους:

Τί κατακροᾶσθέ μου τὰ μουσοδομήματα;

nostri ‘audio’ quidem accusativo adiungunt, ‘ausculto’ vero tam dativo quam accusativo. Terentius in Andria:

Pamphilum-ne adiutem an auscultem seni.

idem in eadem:

Ausculpta pauca: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies:

sic enim habent antiqui codices teste Donato commentatore eius.

Attici ‘κατακέχρησαι ταύτη’ καὶ ‘ταύτην’. Cicero primo invectivarum: quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Sallustius in Catilinario: quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant; sed potest subaudiri ‘his’.

Attici ‘καθέζεσθαι ἐν τῷδε’ καὶ ‘εἰς τόνδε’ καὶ ‘ἐπὶ τοῦδε’ καὶ ‘ἐπὶ τῷδε’. Θουκυδίδης A: καθεζόμενοι δὲ ἰκέται εἰς τὸ Ἡραῖον ἐδέοντο. Αἰσχίνης: ἐκαθήμεθα δὲ ἐν τῇ στοᾷ. nostri quoque auctores frequenter huic

verbo diversos sociant casus: ‘sedeo in monte’ et ‘in montem’ et ‘monte’ et ‘montem’ sine praepositionibus, ut Virgilius in VII:

<18.321> Tali intus templo divum patria-que Latinus
Sede sedens.

idem in V:

Summa petit scopuli sicca-que in rupe resedit.

Sallustius in Iugurthino: Iugurtha extenuata suorum acie montem insedit.

Attici ‘κατηγορῶ σοῦ τάδε’ καὶ ‘τῶνδε’. et nos ‘accuso te furti’ et ‘accuso tui furta’. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίῳ: εἰ μὲν οὖν παρανόμων ἢ παραπρεσβείας ἢ τινος ἄλλης τοιαύτης αἰτίας ἤμελλον αὐτοῦ κατηγορεῖν.

Attici ‘κατέαγε τοῦ δεῖνα’ καὶ ‘τῷ δεῖνι ἢ κλεῖς’. similiter Latini ‘fractum illius’ et ‘illi crus’.

Attici ‘καταφρονήσας τούτου’ καὶ ‘τοῦτον’. Ἡρόδοτος πρώτη: καταφρονήσας τὴν τυραννίδα ἤγειρεν τρίτην στάσιν. Romani et ‘temno’ et ‘sperno’ et ‘despicio’ et omnia activa verba, quae faciunt ex se passiva, accusativo coniungunt. Virgilius in bucolico:

O digno coniuncta viro, dum despicias omnes.

Illi dicunt ‘κατὰ μνήμην’ ἀντὶ τοῦ ‘ὡς μέμνημαι’ et ‘κατὰ σῶμα εἰργασμένην’. nostri quoque ‘pro viribus’ id est ‘secundum vires’. Sallustius in Catilinario: publicam miserorum causam pro mea consuetudine suscepi. Virgilius in V:

Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri,

id est ‘secundum suas vires’. haec tamen eadem praepositio [id est ‘pro’] quando verbo adiungitur in supra dicta significatione, assumit ‘ut’: ‘prout possum, prout valeo, prout intellego’.

Illi ‘καταμελεῖν τούτων’ καὶ ‘ταῦτα’. Ἀντιφῶν πολιτικῶ: μήτε <18.322> φιλοπότην κληθῆναι καὶ δοκεῖν τὰ πράγματα καταμελεῖν ὑπὸ οἴνου ἠσώμενον. sic et nostri ‘neglego illum’. Terentius in adelphis:

Pecuniam in loco neglegere maximum interdum est lucrum.

‘Καρτερεῖν τὰ παρόντα’ καὶ ‘ἐπὶ τοῖς παροῦσιν’. nos ad accusativum. Virgilius in III Aeneidos:

Haut inpune quidem nec talia passus Vlives.

Illi καταρᾶται τούτῳ. Horatius sermonum II:

tibi non referenda precati.

Κατεύχεσθαι τοῦτον. nostri ‘imprecor’ et ‘execror illum’ et ‘illi’.

Illi ‘καταγελαῶς ἡμῶν’ καὶ ‘ἡμῖν’. Terentius in adelphis:

Rideo hunc.

idem in eunucho:

Forte habui scortum: coepit ad id adludere
Et me inridere.

idem in eodem:

hisce ego non paro me ut rideant,
Sed † his ultro arrideo.

Illi 'κατακράζομαί σε' καὶ 'καταβοήσομαί σε' καὶ 'σοῦ'. Ἀριστοφάνης ἰππεῦσιν:

Κατακεκράζομαί σε.
nos 'increpo illum'.

Illi 'καθ' ἡμέραν' καὶ 'καθ' ἐκάστην τὴν ἡμέραν'. nostri 'in dies' et 'per singulos dies' et 'in annos' et 'per singulos annos' et 'in horas' <18.323> et 'per singulas horas'. Livius frequenter in milites pro 'in singulos milites'. Virgilius in V:

Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in naves, adhibete penates.

illi ὀσημέραι, nos 'cotidie' et 'quot annis'.

Illi 'κατάγομαι' καὶ 'καταλύω' καὶ 'ὀρμίζομαι' et ad locum et in loco ponunt. similiter nostri 'deverto domi' et 'domum'.

Illi κόπτειν τὰ ῥήματα pro 'disserere'. Terentius in heautontimorumenos:
verum interea, dum sermones caedimus,

Illae sunt relictæ.

Illi 'κοπιᾶς αὐτόν' pro 'in lassitudinem ducis'. huic similia sunt apud nos tam activam quam passivam habentia significationem, ut superius ostendimus, 'propinquo, ruo, moror'.

Illi 'κωλύει τὸν ἀδικούμενον' καὶ 'κωλύει τοῦτον ἀδικεῖσθαι'. et nos 'prohibet illum periclitantem' et 'prohibet illum periclitari'. Virgilius in II Aeneidos:

sensit medios illapsus in hostes

pro 'illapsus se esse'. Sallustius in Iugurthino: et hercule, Sulla, ante te cognitum multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigni.

Λαχεῖν τῶν πατρῶων, διαλαχεῖν τὰ πατρῶα. nos 'sortior' ad accusativum. Virgilius in XII:

Sortitus fortunam oculis.

Illi 'λέγουσιν ὡς τόδε ἐγένετο' καὶ 'λέγουσιν ὡς τόδε γεγονέναι'. nostri 'dicunt ut illa res facta sit' et 'illam rem factam esse'.

<18.324> 'Λέγεται ὅδε πεποιηκέναι τόδε' καὶ 'λέγεται τόνδε πεποιηκέναι τόδε'. et nostri frequenter. Terentius in eunucho:

Apparet servum hunc esse domini † miseri et pauperis.

Illi λεκτέον ἐστί pro 'oportet dicere'. Πλάτων ἐν πολιτείας Γ: ὅτι ἔφαμεν, ἃ μὲν λεκτέον, ἤδη εἰρησθαι, ὡς δὲ λεκτέον ἐστί, ἐπισκεπτέον εἶναι. hinc Romani gerundia vel supina invenerunt: 'dicendi, dicendo, dicendum, dictum, dictu'. proprie autem in 'dum' terminatio Atticum significat adverbium, quod omni generi et numero et personae et tempori potest adiungi, ut 'legendum est mihi, tibi, illi, nobis, vobis, illis' et 'legendum est, legendum fuit, legendum erit poetam, orationem, carmen'.

Attici λογίζεται λ' μνάς ὑπὲρ ἡμῶν ἐκτετικῶς. nos 'confitetur osculatus virginem' et 'criminatus innoxium'. Virgilius in II:

sensit medios illapsus in hostes

pro 'illapsus se esse'. Statius in XII:

hortaris euntem

pro 'hortaris ire'.

Attici 'λοιδορεῖσθαι αὐτοῖς' καὶ 'αὐτούς'. Ὑπερείδης κατὰ Δημοσθένους: ἀλλὰ τοὺς νεωτέρους ἐπὶ βοήθειαν καλεῖς, οὓς ὕβριζες καὶ ἐλοιδοροῦ ἀκρατοκώθωνας ἀποκαλῶν. et Romani <18.325> 'maledico te' et 'tibi'. Cicero pro Deiotaro: Blesamius, inquit,– eius enim nomine, optimi viri nec tibi ignoti, maledicebat tibi.

'Λυμαίνεται τῷδε' καὶ 'τόνδε'. Ἡρόδοτος A: λυμαινομένη δὲ τῷ νεκρῷ ἐπέλεγε τοιάδε, καὶ ἐν τρίτῃ: λυμαίνομαι αὐτόν. Romani: 'laedo te' et 'noceo tibi' dicunt et 'te'. Lucanus in III:

Insiluit solo nociturus pondere puppim;
sed magis per ellipsin 'in' praepositionis prolatum est, insiluit puppim pro 'in puppim'.

Isocrates Αἰγινήτικῳ: ἐκ ποίας δ' ἂν οἰκίας ἄλλον ἥδιον υἷον εἶδεν αὐτῷ μᾶλλον πολὺ pro 'πολὺ μᾶλλον; μάλιστα' καὶ 'πολὺ μάλιστα'. nostri 'multo magis' et 'multo maxime', ut Virgilius in I:

Pygmalion scelere ante alios immanior omnes.

Attici 'μανθάνω τόδε' καὶ 'τοῦδε'. huic simile est illud Terentianum in eunucho:

<18.326> Reviso, quidnam Chaerea hic rerum gerat
pro 'quas res', et Virgilius in XI:

Iustitia-ne prius mirer belli-ne laborum.
similiter 'insimulo avaritiae, accuso pecuniarum repetundarum' vel 'furti' vel 'adulterii' et similia.

('Sciens' autem quando participium est, accusativo adiungitur; quando nomen, genetivo, quomodo 'amans, diligens, patiens, neglegens' et similia.)

Attici μετ' ἐμοῦ ἐστὶ τὰ δίκαια. Cicero in III Verrinarum: heres erat filia; faciebant omnia cum puella, leges, aequitas, voluntas patris, edicta praetorum.

Illi 'μέλλω γράφειν' καὶ 'γράψαι'. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἡγησάνδρου κλήρου: ὡς ἔμελλεν ἐπὶ τε τοὺς βωμοὺς εἶναι καὶ νομιζόμενά γε ποιήσειν. pro hac constructione Romani participio futuri utuntur cum omni tempore verbi substantivi, ut 'lecturus sum', μέλλω ἀναγινώσκεις; 'lecturus eram' et 'fui' et 'fueram', ἤμελλον ἀναγινώσκεις, 'lecturus ero' vel 'fuero', μέλλω ἀναγνώσεσθαι.

Illi 'μέλει μοι ταῦτα' καὶ 'τούτων'. nos 'curo has res'.

Illi μέχρι ἕως. nos 'usque dum'.

Attici 'μέμφεται σοὶ' καὶ 'σέ'. similiter nostri 'queror tibi' et 'te'. Iuvenalis in I:

Nec quereris patri nec terram cuspide quassas.

Virgilius in bucolico:

Dum queror et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci.

<18.327> Ξενοφῶν παιδείας Z: τοῖς δὲ θεοῖς οὐδὲν ἂν ἔχοιμεν μέμψασθαι. Μένανδρος:

μέμφομαί σοι τοῦθ', ὅτι

Χρηστά με λέγοντα οὐκ εὖ ποιήσειν προσδοκᾶς.

Δημοσθένης Φιλιππικοῖς, Ὀλυνθιακῶ τρίτῳ: καὶ οὐχὶ μέμφομαι τὸν ποιοῦντά τι τῶν δεόντων ὑπὲρ ὑμῶν.

Attici ‘μεθ’ ἡμέραν’ καὶ ‘ἡμέραν’ ponunt per se et νύκτωρ καὶ ἡμέραν.
Aristophanes:

οὔτε νύκτωρ παύεται

Οὔθ’ ἡμέραν.

nostri quoque frequenter huiuscemodi utuntur constructionibus: ‘noctu et die; interdiu et nocte’. Virgilius in I:

noctem non amplius unam

Falle dolo.

idem in eodem:

una cum gente tot annos

Bella gero.

‘Habere’ pro ‘esse’. Δημοσθένης κατ’ Αἰσχίνου ὑπὲρ τῆς παραπρεσβείας: μηδενὶ ὑμῶν εὐσεβῶς ἔχειν ἀποψηφίσασθαι αὐτοῦ.
Terentius in Phormione:

† Bene tibi se habent principia.

Attici μικρὸν ἢ μέγαν. nos ‘plus minus-ve’. et huic simile Terentius in Andria:

Quo iure qua-que iniuria.

Illi ‘μνησθῆναι τοῦδε’ καὶ ‘τόδε’. Ὅμηρος:

Μνήσεο πατὴρ σείο, θεοῖς ἐπιείκελ’ Ἀχιλλεῦ.

<18.328> Δημοσθένης Φιλιππικῶ: καίπερ ὄντες οὐ δεινοὶ τοὺς ἀδικοῦντας μεμνησθαι. similiter nostri. Virgilius in III:

nec meminisse pigebit Elissae.

idem in bucolico:

numeros memini, si verba tenerem.

‘admoneo te illius’ et ‘illum’. Sallustius: sed quoniam tanti viri nos tempus admonuit. Virgilius in X:

Lucagus ut pronus pendens in verbera telo

Admonuit biiugos.

Illi μονονουχί. similiter Terentius in Phormione:

is senem per epistolam

Pellexit modo non montes auri pollicens.

Attici multa per ellipsin proferunt vel pleonasmon. Φερεκράτης ἐν Χείρωσιν:

Νῦν δ’ ἄρτι μοι τὸ γῆρας ἐντίθησι νοῦν.

nostri quoque ‘nunc nuper’. Ξαίνει κατὰ τοῦ νότου πολλὰς, deest πληγὰς, quomodo Terentius in eunucho:

Plurima salute Parmenonem,

Summum suum, impertit Gnatho,

deest enim ‘amicum’. idem in eodem:

Ego-ne illam, quae illum, quae me quae non!

Φερεκράτης κραπατάλλοις:

Ὡς τοι κακὸν ὄζει †ΤΑΝΑΜΗΔΥΝ ἀλλὰ γλυκύ.

<18.329> Terentius in adelphis:
olet unguenta de meo.

Iuvenalis in I:

olebit

Lanternam.

‘Οἶδά τινας ποιούντας’ ἢ ‘ποιήσαντας τόδε’ καὶ ‘οἶδά τινας ποιεῖν’ ἢ ‘πεποιηκένας τόδε’. Ξενοφῶν ἀπομνημονευμάτων Δ: οἶδας δέ τινας ἄλλα ποιεῖν ἢ ἃ οἴονται δεῖν; Terentius in adelphis:

video sapere, intellegere, in loco

Vereri, inter se amare.

Ξενοφῶν: τοὺς μὲν Λακεδαιμονίους οὕτως αὐτοὶ οἱ πελασταὶ ὄκνουν. hinc Romani ‘piget’ accusativo et genetivo coniungunt: ‘piget me hostium’. eiusdem constructionis sunt ‘pudet, taedet, paenitet, miseret’. inveniuntur tamen etiam accusativis solis coniuncta. Terentius in adelphis:

Ei mihi!

Non te haec pudent?

idem:

ut nihil pudet.

(οὐδένα κίνδυνον ἴδιον οὐδὲ ὀκνήσας οὐδὲ ὑπολογισάμενος.)

Attici dicunt θαρρῶ αὐτοὺς et αὐτοῖς. similiter nostri. Statius in II Thebaidos:

Terrigenas confisus avos.

Iuvenalis in III:

Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos

Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.

<18.330> Virgilius etiam dativo coniunxit in XI:

dum Troia temptat

Castra fugae fidens et caelum territat armis.

idem in IX:

et fidere nocti.)

Attici dicunt ὀλίγον πρότερον et ὀλίγω πρότερον. nos quoque ‘ante paulum’ et ‘paulo ante’, quomodo et ‘post paulum’ et ‘paulo post’. Πλάτων Μένωνι: οὐκοῦν τούτων ἕκαστον ὀλίγον πρότερον μόνον ἀρετῆς ἔφαμεν εἶναι. Ἰσοκράτης πανηγυρικῶ: ἐπὶ δὲ τῶν μεγίστων τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ ὀλίγω πρότερον, πειράσομαι καὶ περὶ τούτων διελεῖν. Cicero in I invectiviarum: et voces paulo ante exaudire potuisti. similiter Attici ‘ὀλίγω ὕστερον’ καὶ ‘ὀλίγον ὕστερον’, quomodo et nos. Πλάτων ἐν Εὐθυδήμῳ: ὀλίγω ὕστερον εἰσέρχεσθον τούτῳ. Horatius:

Illam: ‘pos paulum, sed multo’.

Attici ὀλίγας ἡμέρας pro ἐν ὀλίγαις ἡμέραις. similiter nos. Aristophanes γήρα:

Σὺ δ’ οὐκ ἐγήμω; – Νῆ Δί’ ὀλίγας ἡμέρας.

Virgilius in I:

una cum gente tot annos

Bella gero.

idem in eodem:

Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo.

<18.331> idem in III Aeneidos:

Tres adeo incertos caeca caligine soles

Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

“Ολίγου εἰς χιλίους” ἀντὶ τοῦ “παρ’ ὀλίγον χιλίους”. nos ‘paulo minus mille’. Θουκυδίδης Δ: ἱππῆς δὲ οἱ πάντες ἠκολούθουν Μακεδόνων σὺν Χαλκιδεῦσιν ὀλίγου εἰς χιλίους.

“Ολίγου δεῖ” καὶ “ὀλίγου δεῖν” ἀντὶ τοῦ “σχεδόν”. ‘ὀλίγου ἐπελαθόμεν ὃ ἐβουλόμην εἰπεῖν’ ἀντὶ τοῦ “ὀλίγου δεῖ”. Terentius in Andria:

Sosia,

Adesdum, paucis te volo.

Attici “Ολύμπια” καὶ “Ολυμπίους ἐνίκα”. Iuvenalis in II:
fidibus promittere,

et Terentius in eunucho:

fidibus scire.

(Horatius de arte poetica:

qui Pythia cantat

Tibicen.)

Attici ὄμνυμι θεούς. Virgilius in VI:

Di cuius iurare timent et fallere numen.

idem in eodem:

maria aspera iuro.

nec mirum, cum etiam passivum habeat. unde Lucanus in V:

Et laetae iurantur aves bubone sinistro.

Ὅμηρος:

Ἄγρει μάν, νῦν μοι ὄμοσον Στυγὸς ἄατον ὕδωρ,

<18.332> Ἡ μὲν ἐμοὶ δώσειν Χαρίτων μίαν ὀπλοτεράων.

Menander:

Γλυκέρα, τί κλάεις; ὄμνύω σοι τὸν Δία

Τὸν Ὀλύμπιον καὶ τὴν Ἀθηνᾶν, φιλτάτη,

Ὅμωμοκῶς καὶ πρότερον ἤδη πολλάκις.

idem in misogynno:

ὄμνυμί σοι τὸν Ἥλιον,

Ἡ μὲν ἀποίσειν σοι γραφὴν κακώσεως.

(Terentius in Phormione:

en umquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?

et Lucanus in VI:

Effera damnarat nimiae pietatis Erichtho.)

Attici ὅμοια τοῖς et ὅμοια τῶν. Θουκυδίδης Ζ: τὸ δὲ γένος τὸ τῶν Θρακῶν ὅμοια τοῖς μάλιστα τοῦ βαρβαρικοῦ, ἐν ᾧ ἂν θαρσῆση, φουκώτατόν ἐστιν. Virgilius in bucolico:

Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboeae, putavi

Stultus ego huic nostrae similem.

Terentius in eunucho:

Quid tibi ego multa dicam? domini † similis es.

Attici 'ὁμοίος ἐστὶ λόγος καὶ πρότερον' ἀντὶ τοῦ 'οἶος καὶ πρότερον'. <18.333> Πλάτων Κρίτωνι: ἀλλ', ὃ θαυμάσιε, οὗτός τε ὁ λόγος, ὃν διεληλύθαμεν, ἔμοιγε δοκεῖ ἔτι ὁμοίος εἶναι καὶ πρότερον ἀντὶ τοῦ 'οἶος πρότερον'. simile est illud Virgilianum:

O socii, neque enim ignari sumus ante malorum,
id est 'illorum, quae pertulimus mala'. et nota, quod ex huiusmodi structura Graeca frequenter Latini 'ac' et 'atque' in significatione similitudinis accipiunt, ut 'similis est haec oratio atque ante'. Virgilius in III Aeneidos:

Haud secus ac iussi faciunt.

Terentius in Andria:

Ita tunc discedo ab illo, ut qui se filiam

Neget daturum,

id est 'ut ab huiusmodi homine, qualis est, qui filiam negat'. 'facio atque ante feci' pro 'sicut feci'.

Attici 'ὄν τρόπον' καὶ 'ὃ τρόπον' καὶ 'ἐξ οὗ τρόπου', καὶ 'καθ' ὄν τρόπον'. nos 'quem ad modum' et 'quo modo'.

"Ὄνασθαι τοῦδε' καὶ 'τόδε' καὶ 'ἀπὸ τοῦδε'. Πλάτων Χαρμίδη: ὑπὲρ δὲ σοῦ, ἦν δ' ἐγώ, ὃ Χαρμίδη, πάνυ ἀγανακτῶ, εἰ σύ, τοιοῦτος ὢν τὴν ιδέα καὶ πρὸς τούτῳ τὴν ψυχὴν σωφρονέστατος, μηδὲν ὀνήσει ἀπὸ ταύτης τῆς σωφροσύνης. Virgilius in VII:

fruitur-que deorum

Colloquio.

Iuvenalis in I:

Exul ab octava Marius bibit et fruitur dis

Iratis, at tu, victrix provincia, ploras?

similiter 'potior illius rei' et 'illa re' et 'illam rem'. Cicero invectiviarum II: rerum potiri volunt. Terentius in adelphis:

<18.334> ille alter sine labore patria potitur commoda.

idem in eodem:

miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.

Sallustius in Iugurthino: priusquam legatos conveniret, Adherbalis potiretur. Virgilius in I:

Egressi optata potiuntur Troes harena.

Illi 'ὄσημέραι' καὶ 'ὄσαι ἡμέραι'. Ὑπερείδης Δηλιακῶ: ἐνταυθοῖ θύεται τῷ Ἀπόλλωνι ὄσημέραι καὶ μερὶς αὐτῷ καὶ δεῖπνον παρατίθεται. hinc Romani 'cotidie' vel 'quotidie' pro 'quot dies', et 'quotannis' pro 'quotquot eunt anni'.

Attici ὄσφ χρόνῳ. Μένανδρος μισογύνη:

† Χαῖρ', ὃ Γλυκέρα. – Καὶ σύ. – Πολλοστῷ χρόνῳ

Ὅρῳ σε.

nos 'longo tempore'.

"Ὅσφράται τοῦδε' καὶ 'τόδε'. Εὐπολις αἰξίν:

Προσένεγκέ μοι ἐγγὺς τὸ στόμα, ὄσφρέσθαι τὸ σόν.

nos quoque 'olfacio illam rem'. Terentius in adelphis:

Sinerem illum? ac non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quicquam coeperit?
'odoror' quoque accusativo coniungitur. Lucanus in VII:
<18.335> motum-que cadavere caelum
odorati Pholoën liquere leones.

Attici ὅταν ἔλθῃ de futuro dicunt. Isaeus etiam de praeterito: ὅταν ἔλθῃ, εἰώθει παρ' ἐμοὶ κατάγεσθαι, et iterum: ὅταν ἔλθῃ, παρ' ἐκείνῳ κατηγομένην. antiquiores tamen ὅτε ἔλθοι de praeterito dicunt. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ Διογένους κλήρου: Διογένει δὲ οἰκειότατα πάντων ἀνθρώπων ἐχρώμεθα, καὶ ἕως γε ὑγίαιεν, ἐξ ἀγροῦ ὅποτε ἔλθοι, παρ' ἡμῖν διητᾶτο. in huiusmodi sensu Romani solent non solum praeteritis imperfectis, sed etiam perfectis uti pro praesentibus vel futuris tam subiunctivis quam indicativis. Virgilius in I Aeneidos:

Certe hinc Romanos olim volventibus annis,
Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucris,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus,

tenerent κατέχοιεν. idem in eodem:

Cum venit, aulaeis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda.

Cicero in Verrinarum I: non enim illud peto, quod soleo, cum vehementius contendī, impetrare, reus ut absolvatur. et Terentius in eunucho:

Quae vera audivi, taceo et contineo optime,

<18.336> audivi pro 'audiam' vel 'audivero'. idem in Andria:

Sed siquid tibi narrare occepi, continuo dari

Tibi verba censes,

occepi pro 'occipiam' vel 'occepero'.

Attici ὅτι κάλλιστος pro ὡς κάλλιστος. Πλάτων Ἀλκιβιάδῃ: προστέτακται ἐπιμελεῖσθαι τοῦ γενομένου, καὶ ὅπως καὶ ὅ τι κάλλιστος ἔσται μηχανᾶσθαι, ἀναπλάττοντας τὰ μέλη τοῦ παιδὸς καὶ κατορθοῦντας. similiter nostri. Terentius in eunucho:

Munus nostrum ornato verbis, quod poteris; et istum aemulum,
Quod poteris, ab ea pellito;

quod poteris pro 'ut poteris, quantum poteris'.

Ὅτι ἡ λέγεις με pro εἰς ἐμέ. Aristomenes βοηθοῖς:

Μισῶ σε, ὅτι ἡ λέγεις με τὰ αἰσχρά.

huic simile est illud Terentianum in Andria:

Quid me fiat?

pro 'in me'.

Attici ὅ τι μάλιστα. Πλάτων Χαρμίδῃ: εἰ δ' οὖν, ὦ φίλε, ὅ τι μάλιστα μηδὲν ἐλάττους αἰ ἡσύχιοι τῶν σφοδρῶν τε καὶ ταχειῶν πράξεων τυγχάνουσι καλλίους οὔσαι. nostri 'cum maxime' pro ὅ τι μάλιστα frequenter ponunt. Πλάτων in eodem: οὐδὲ ταύτῃ σωφροσύνης ἂν εἴη μᾶλλον τι τὸ ἢ συχῆ πράττειν ἢ τὸ σφόδρα <18.337> τε καὶ ταχέως,

οὔτε ἐν βαδισμῷ οὔτε ἐν λέξει οὔτε ἄλλοθι οὐδαμοῦ. *similiter Virgilius in I Aeneidos:*

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

Attici τὸ ‘οὖν’ παραπληρωματικόν accipiunt. Πλάτων Τιμαίω: ὁ δὴ γέρων, σφόδρα γὰρ οὖν μέμνημαι. *nostri quoque frequenter ‘ergo’ repletivi loco accipiunt. Terentius in Andria:*

† Mihi-ne? – Tibi ergo.

Οὐδὲ τότε ἐποίησεν atque οὐδὲ τότε οὐκ ἐποίησεν pro eodem ponunt Attici ex supervacuo duplicantes abnegationem. *Terentius in Phormione:*

Non, non sic futurum est.

Lucanus in I:

Aut hic errat, ait, nulla sine lege per aevum
Mundus.

Terentius in eunucho:

Nihil minus

pro ‘minime’.

‘Οὕτως’ καὶ ‘τὸν αὐτὸν τρόπον’. Πλάτων Εὐθυδήμω: καὶ οἷ γε στρατηγοί, ἔφη, τὸν αὐτὸν τρόπον. Δημοσθένης ἐν τῷ πρώτῳ Φιλιππικῷ: μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ οἱ δανειζόμενοι ἀντὶ τοῦ ‘ὄνπερ’. *Terentius in Andria:*

Quid vos? quo pacto hic? † satin recte? – Nos-ne? sic

<18.338> Vt quimus, aiunt, quando ut volumus non licet.

idem in eunucho:

nunc ego eam, mi Phaedria,

Multae sunt causae, quamobrem cupiam abducere.

frequentissimae tamen sunt huiusmodi figurae, quibus adverbium nominibus vel participiis vel pronomibus redduntur, et maxime localia. *Virgilius:*

Arma virum-que cano . . . genus unde Latinum

pro ‘ex quo’.

Attici ‘οὐχ οὕτως ἦσαν ἀνόητοι ὥστε τότε τι ποιῆσαι’ καὶ ‘ὥστε τότε τι ἐποίησαν’. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Ἀγοράτου ἐνδείξεως: οὐ γὰρ δήπου οὕτως ἐκεῖνοι ἀνόητοι ἦσαν καὶ ἄφιλοι, ὥστε περὶ τηλικούτων πραγμάτων πράττοντες Ἀγόρατον ὡς πιστὸν καὶ εὖνον, δούλον καὶ ἐκ δούλων ὄντα, παρεκάλεσαν, ‘ut rogaverint’. talis iunctura frequens est apud nos, quotiens ‘ut’ pro causali coniunctione positum praeterito subiunctivi copulatur vel etiam praesenti vel futuro, quando loco ὅτι, id est ‘quod’, ponitur. *Cicero in VII Verrinarum:* primum ut in iudiciis, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere.

Attici οὐχ ἥκιστα. *Romani ‘non minus, non parum, nihilominus’.* illi οὐκ ἀδυνατώτατος, ἀλλὰ δυνατώτατος. *Cicero Verrinarum I:* ad hominem non inertissimum. Attici οὐχ ἦπτον pro ‘similiter’ et pro ‘magis’. *nostri quoque ‘non minus, non secus’.* *Virgilius in III:*

Non secus ac iussi faciunt.

<18.339> idem in III:

non segnior

pro 'similis'. Θουκυδίδης in principio: καὶ οὐχ ἦττον λησται ἦσαν οἱ νησιῶται ἀντὶ τοῦ 'καὶ μᾶλλον ἐλήστευον'. Terentius in eunucho:

hoc nemo fuit

Minus ineptus,

pro 'magis prudens'. illi 'οὐδαμοῦ' τοπικόν. nos 'nusquam'. Attici οὐχ ὅπως τόδε οὐκ ἐγένετο, ἀλλ' οὐδὲ τόδε et rursus οὐχ ὅπως τόδε οὐκ ἐγένετο, ἀλλὰ τόδε καὶ τόδε. Ἰσοκράτης Πλαταϊκῶ: πολὺ δὲ μάλιστα ἀγανακτοῦμεν, ὅτι οὕτως δέομεν τῶν ἴσων ἀξιούσθαι τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν, ὥστε εἰρήνης καὶ συνθήκης γεγενημένων οὐχ ὅπως τῆς κοινῆς ἐλευθερίας οὐ μετέχομεν, ἀλλ' οὐδὲ δουλείας μετρίας τυχεῖν ἠξιώθημεν. ἐν δὲ τοῖς ἐξῆς: καὶ Λακεδαιμονίων μὲν εἰς αὐτοὺς στρατευσάντων, δι' ὑμᾶς δὲ σωθέντες, <18.340> οὐχ ὅπως τούτων χάριν ἀπέδοσαν, ἀλλ' ἐπειδὴ διελύεσθε τὸν πόλεμον, ἀπολείποντες ὑμᾶς εἰς τὴν Λακεδαιμονίων συμμαχίαν εἰσῆλθον. Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Κλεόστρατον: οὐδὲ εἴ τις εἰσποίητος πάθοι, οὐκ ἀποστερεῖ τὴν μητέρα αὐτοῦ τῶν χρημάτων. abundat altera abnegatio. similiter οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς οὐδὲν εἰπεῖν. [Πλάτων ἐν προτέρῳ Ἰππαρχικῶ: οὐδεὶς ὅστις οὐ.] Πλάτων Ἰππία: ὅτι, φήσομεν, καταγελῶ ἂν ἡμῶν οὐδεὶς ὅστις οὐ, ἢν φαίμεν μὴ ἡδὺ εἶναι φαγεῖν. Terentius in eunucho:

nemo quisquam.

οὐδέποτε tam in praeterito quam in futuro ponunt, quomodo et nos 'numquam'. Aristophanes ἐκκλησιαζούσαις:

Τί δὴ ποτε ἐπὶ στοίχου' στὶν οὕτως; οὐ τι μὴ

Ἰέρωνι τῷ κήρυκι πομπὴν πέμπετε;

nostri quoque frequenter duplici abnegatione utuntur pro simplici: ut 'nihilominus' pro 'non' et 'recuso ne faciam' pro 'recuso facere'. [Attici οὐχ ὅπως τόδε οὐκ ἐγένετο, ἀλλ' οὐδὲ τόδε et rursus οὐχ ὅπως τόδε οὐκ ἐγένετο, ἀλλὰ τόδε καὶ τόδε. Ἰσοκράτης Πλαταϊκῶ: πολὺ δὲ μάλιστα <18.341> ἀγανακτοῦμεν, ὅτι οὕτως δέομεν τῶν ἴσων ἀξιούσθαι τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν, ὥστε εἰρήνης καὶ συνθήκης γεγενημένων οὐχ ὅπως τῆς κοινῆς ἐλευθερίας οὐ μετέχομεν, ἀλλ' οὐδὲ δουλείας μετρίας τυχεῖν ἠξιώθημεν. ἐν δὲ τοῖς ἐξῆς: καὶ Λακεδαιμονίων μὲν εἰς αὐτοὺς στρατευσάντων, δι' ὑμᾶς δὲ σωθέντες, οὐχ ὅπως τούτων χάριν ἀπέδοσαν, ἀλλ' ἐπειδὴ διελύεσθε τὸν πόλεμον, ἀπολείποντες ὑμᾶς εἰς τὴν Λακεδαιμονίων συμμαχίαν εἰσῆλθον.] haec autem figura solet fieri vel abundante abnegatione vel deficiente et a communi subaudienda. Virgilius in III Aeneidos:

non me tibi Troia

Externum tulit aut cruor hic de stipite manat

pro 'neque cruor'. idem in VIII:

Non hic Atridae nec fandi fictor Vlixes.

bene dixisset etiam pro 'nec' ponens 'vel' et 'aut' nec non etiam 'et'. Lucanus in III:

Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos
Ora tenens spargit-que iubas et subrigit artus
Incerto-que pedum pugnat non stare tumultu;

hic enim e contrario 'que' atque 'et' pro 'nec' posuit, et ad omnia 'non' in principio positum a communi accipitur. idem in eodem:

fluvios non ille cruoris

Membrorum-que videt lapsus,
pro 'neque membrorum videt lapsus'.

Δημοσθένης κατ' Αἰσχίνου παραπρεσβείας: μηδὲν λειλιπότα μοχθηρίας. Sallustius in Catilinario: postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere.

<18.342> Illi 'ὀφείλει μοι τόκον ὁ δεῖνα' καὶ 'ὀφείλει τόδε ποιῆσαι'. et nos 'debet mihi ille usuram' et 'debet illam rem facere'. nam infinitis verborum tam illi quam nos frequenter utimur loco nominum: et illi quidem pro omni casu, nos autem pro nominativo vel accusativo, ut Persius:

Sed † bonum est digito monstrari et dicier 'hic est'.

idem:

Euge tuum et belle.

Lucanus in III:

Victuros-que dei celant, ut vivere durent,
Felix esse mori.

loco enim genetivi vel dativi vel ablativi et accusativi cum praepositione gerundiis vel supinis utimur, de quibus de verbo tractantes sufficienter docuimus.

Attici 'παραβάλλομαι τούτῳ' καὶ 'πρὸς τοῦτον'. Demosthenes pro Ctesiphonte: πρὸς ἐκείνους ἐξετάζειν καὶ παραβάλλειν ἐμέ. Romani quoque 'comparo tibi illum' et 'tecum'. Cicero pro Deiotaro: etsi inique Castorem cum Domitio comparo.

Πανταχῆ tam 'in loco' quam 'per omnes partes' significat. Demosthenes Philippicorum quarto: καὶ κύκλῳ καὶ πανταχῆ μέλλοντας ἡμᾶς καὶ καθημένους περιστοιχίζεται. πανταχοῖ 'ad locum' Demosthenes: πρὸς Ἀρτάβαζον καὶ πανταχοῖ μᾶλλον οἴχεται. idem in Philippicis: τῆς ἐκείνων προαιρέσεως οἱ τυραννίδων <18.343> καὶ δυναστειῶν ἐπιχειροῦντες κεκρατήκασιν πανταχοῦ, quod est 'in loco'. nos 'omnifariam' quidem pro 'per omnes partes' ponimus, 'ubique' autem 'in loco' et 'undique' 'de loco' et 'quo' 'ad locum'.

'Πάντα τὸν χρόνον' καὶ 'παντὶ τῷ χρόνῳ' καὶ 'ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ πράττει'. similiter nos. Virgilius in VIII:

Omne aevum ferro teritur.

Illi 'παύω τόνδε λυπούμενον' καὶ 'λυπεῖσθαι' καὶ 'μὴ ποιεῖν τόδε', et nostri 'compesco illum insanientem' et 'insanire' et 'ne insaniat'.

Παρά apud illos et genetivo et dativo et accusativo coniungitur, et apud nos 'praeter' accusativo coniungitur et ablativo tamen, quando pro 'sine' accipitur, – ut Sallustius in Catilinario: praeter rerum capitalium condemnatis pro 'sine

condemnatis’, – et ‘tenus’ tam ablativo quam genetivo, ut ‘pube tenus’. Virgilius in III:

Pube tenus, postrema immani corpore pistrinx.
idem in III georgicon:

Et crurum tenus a mento palearia pendent
secundum Graecos dixit.

Attici ‘παρεσκευάζοντο ὡς ποιήσοντες τόδε’ καὶ ‘ποιῆσαι τόδε’. similiter nostri. Sallustius in Catilinario: neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditus in fuga sequeretur. hinc videtur etiam illud:

dignus patriis qui laetior esset
Imperii et cui pater haud Mezentius esset.

Attici ‘παραχωρῶ σοι τοῦδε’ καὶ ‘τόδε’. Latinorum quoque auctores ‘concedo tibi illius rei’ et ‘illam rem’. Lucanus in I:

tibi numine ab omni
<18.344> Cedetur iuris-que tui natura relinquet,
Quis deus esse velis.

Attici παραιτεῖσθαι συγγνώμην. Ξενοφῶν Π ἀπομνημονευμάτων: σὺ μὲν οὖν, ὦ παῖ, ἂν σωφρονήσης, τοὺς μὲν θεοὺς παραιτήση συγγνώμονάς σοι εἶναι, εἴ τι παρημέληκας τῆς μητρός. Livius LVI ab urbe condita: Q. Pompeium morbum excusasse ferunt, ne, cum interesset deditio, animos Numantinorum irritaret.

Attici ‘παρὰ σέ’ pro ‘παρὰ σοί’, quomodo et nos ‘apud te’. Aristophanes ποιήσει:

Γυναῖκα δὴ ζητοῦντες ἐνθάδε ἤκομεν
Ἦν φασιν εἶναι παρὰ σέ.

Illi παντὸς μᾶλλον. Πλάτων πολιτικῶ: σκοπῶμεν δὴ προσσχόντες τὸν νοῦν εὖ μάλα, πότερον παντὸς μᾶλλον αὐτῶν ἔχει διαφορὰν. Virgilius in I:

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

Περὶ apud illos et praeponitur et postponitur et diversas habet significaciones, <18.345> quomodo et apud nos ‘de’ et ‘prae’ et ‘pro’ et pleraeque praepositiones. Herodotus historiarum I: παιδὸς μὲν περὶ τοῦ ἐμοῦ μὴ μνησθήσεσθαι. Virgilius in III:

Te propter Libycae gentes Nomadum-que tyranni
Odere.

et ‘qua de re’ pro ‘de qua re’. Terentius in Andria:

I prae, sequar,
pro ‘praei’.

Attici ‘περιορᾶν αὐτὰς’ καὶ ‘αὐτῶν’. nostri ‘despicio, contemno, sperno illum’ ad accusativum solum.

Illi ‘πεπίστευμαι σοί’ καὶ ‘ὑπὸ σοῦ’. Μένανδρος ἐπικλήρω:
οὔπω σοι πεπίστευμαι;
nos quoque ‘credor tibi’ et ‘credor a te’.

Attici ‘πειράσαι ταύτην’ καὶ ‘ταύτης’. Θεοκυδίδης in III: βουλόμενος τῷ μὲν λόγῳ, καὶ ἅμα, εἰ δύναται, ἔργῳ τῆς Νισαίας πειράσαι. Aristophanes ἰππεύσιν:

Πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις χάρισσασθαι.

Latini ad accusativum solum. Virgilius in II:

Aut terebrare cavas uteri et temptare latebras.

‘expertus’ tamen et ‘illam rem’ et ‘illius rei’ – Virgilius in X:

Sescentos illi dederat Populonia mater

<18.346> Expertos belli iuvenes, ast Ilva trecentos–;

sed magis nomen est.

Attici ‘περὶ τόσους’ καὶ ‘περὶ τόσους’. Theopompus Philippicon VIII: τὸ μὲν μῆκος περὶ τεσσαράκοντα σταδίου. Lycurgus ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας: ὡς περὶ εἴκοσιν ἀνθρώποις. hinc nostri ‘viginti passus’ et ‘viginti passibus aberat’.

Attici ‘περὶ πολλοῦ’ καὶ ‘περὶ πλείστου ἡγεῖσθαι’. Terentius similiter in Andria:

Sive haec te solum semper fecit maximi.

Illi ‘πεποιηκῶς δείξω’ ἀντὶ τοῦ ‘πεποιηκότα ἑμαυτὸν δείξω’. huic simile Virgilius in II:

sensit medios illapsus in hostes

pro ‘illapsum se esse’.

Illi ‘περίφοβός ἐστιν πρὸς τὸ ποιῆσαι’ καὶ ‘ποιῆσαι’. Δείναρχος κατὰ Τιμάρχου: περίφοβος ἦν πρὸς ὑμᾶς εἰσελθεῖν. similiter nos ‘trepidus est ad faciendum’ et ‘trepidus est facere’. Virgilius in bucolico:

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,

Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,

pro ‘boni ad calamos inflandos’ et ‘ad dicendos versus’.

Attici ‘περιβαλεῖν ἐκείνον σύμφορᾷ’ καὶ ‘περιβαλεῖν ἐκείνῳ συμφορᾷ’. et nostri ‘circumdare illum casibus’ et ‘circumdare illi casus’, quomodo ‘tot volvere casus’ et ‘tot volvi casibus’. Virgilius in I:

Quid-ve dolens regina deum tot volvere casus.

idem in eodem:

Argentum Parius-ve lapis circumdatur auro.

similiter ‘induo te veste’ et ‘induo tibi vestem’. Virgilius in XI:

<18.347> Harum unam iuveni supremum maestus honorem

Induit.

idem in X:

An sese mucrone ob tantum dedecus amens

Induat?

Πη apud Graecos infinitum gravatur, interrogativum circumflectitur. similiter apud nos ‘qua’ et ‘quo’.

Attici ‘πιστεύω ταῦτα’ καὶ ‘τούτοις’. Δημοσθένης κατ’ Αἰσχίνου: οὔτε πιστεύειν ἐβούλεσθε πλὴν ἂ οὔτος ἀπήγγελλεν. sed haec synemptosis esse videtur, ad verbum enim sequens accusativo usus est; dativo autem et accusativo simul frequenter iungitur ‘credo’ verbum. Terentius in adelphis:

quid . credas? aut cui credas?

idem in Andria:

Credon tibi hoc nunc?

Attici ‘πλείω ἡμέρας τρεῖς’ καὶ ‘πλείω ἡμέρας ἢ τρεῖς’ καὶ ‘πλείω τριῶν’. nos quoque ‘plus tres dies’ et ‘plus quam tres dies’ et ‘plus tribus diebus’. Πλάτων ἐπιταφίῳ: καὶ ἐμοὶ αὕτη ἡ σεμνότης παραμένει ἡμέρας πλείω τρεῖς. similiter ‘πλείους ἐνός’ καὶ ‘πλείους εἰς’. Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος: εἴ ποῦ εἰσι νόμοι πλείους <18.348> ἀναγεγραμμένοι περὶ ἐκάστης πράξεως εἰς. Δημοσθένης quoque ἐν τῇ πρὸς Εὐβουλίδην ἐφέσει: οὐ πλείους ἢ λ’. nostri quoque hac constructione ad omnes casus utuntur. Terentius in eunucho:

non plus triduum.

Virgilius in I:

noctem non amplius unam

Falle dolo.

Lucanus in VII:

plus est quam vita salus-que,

Quod perit.

Cicero in frumentaria: pluris dimidio. (idem pro Roscio: annos natus maior quadraginta.)

Πλήν. hoc Attici construunt cum omni casu absque vocativo, quomodo et nostri ‘nisi’ et ‘dumtaxat’, ut ‘nisi ille dicat, nisi illius iussu, nisi illi congrue, nisi illum doceam, nisi illo praesente’.

Ποῖ Graeci frequenter ‘in locum’, ποῦ ‘in loco’. Homerus tamen:

Αἰνεῖα, Τρώων βουληφόρε, ποῦ τοι ἀπειλαί;

Romani ‘quo’ ad locum, ‘ubi’ in loco.

Attici ‘πολὺ μᾶλλον’ καὶ ‘πολλῷ μᾶλλον’ καὶ ‘πολὺ μάλιστα’. nostri ad ablativum ‘multo magis’ et ‘multo maxime’. Πλάτων πολιτείας τρίτῳ: πολὺ δὲ ἥδιστος παῖς. Sallustius in Catilinario: ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxime miserabile visum est.

<18.349> Attici ‘πολεμήσαντες τὸν πόλεμον’ καὶ ‘στρατεύσαντες τὸν πόλεμον’. Θουκυδίδης in prima: Λακεδαιμόνιοι δὲ μετὰ ταῦτα τὸν ἱερὸν καλούμενον πόλεμον ἐστράτευσαν. similiter μάχην ἐμάχοντο. et nostri ‘servitutum serviunt’. Terentius:

Cantilenam eandem canis.

Illi ‘πολλοῦ χρόνου’ καὶ ‘χρόνῳ πολλῷ’ καὶ ‘χρόνον πολὺν’ καὶ ‘χρόνος πολὺς τόδε οὐκ ἐγένετο’. Πλάτων περὶ ψυχῆς: οὔτε τις ξένος ἀφίχθη χρόνου συχνοῦ ἐκεῖθεν. Romani ‘multum tempus’ et ‘multo tempore’.

Virgilius in VI:

Nec plura his. ille admirans venerabile donum

Fatalis virgae, longo post tempore visum.

Terentius in eunucho:

Illum liquet mihi deierare his mensibus

Sex septem prorsus non vidisse proximis.

Virgilius in I:

Iovis-que

Et soror et coniux una cum gente tot annos

Bella gero.

Illi ‘πολεμεῖ μοι’ καὶ ‘πολεμεῖ πρόσ με’. nos quoque ‘pugnat mihi’ et ‘pugnat ad me’ – similiter ‘certat’ et huiuscemodi alia – et ‘mecum’. Virgilius:
una cum gente tot annos

Bella gero.

<18.350> ‘Ποιήσασθαι πρόνοιαν τῆς πόλεως’ καὶ ‘περὶ τῆς πόλεως’. nostri quoque ‘faciens curam urbis’ et ‘super urbe’.

Attici ‘πορεύομαι πρὸς περίπατον’ καὶ ‘εἰς περίπατον’. et nostri ‘eo ad urbem’ et ‘in urbem’. Virgilius in II:

Mugdonides illis ad Troiam forte diebus

Venerat.

idem in bucolico:

Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

Πολλοῦ γε δεῖ. nos ‘eget’ verbum tam genetivo quam ablativo coniungimus: ‘egeo illius rei’ et ‘illa re’.

Illi ποῖ ‘ad locum’, et nos ‘quo’.

Illi Πυθοῖ, Ἴσθμοῖ, Μεγαροῖ, οἴκοι, ἔνταυθοῖ, [ἐν Πυθοῖ] ‘in loco’. pro his nos genetivis, si primae sunt vel secundae nomina urbium, sin tertiae, ablativis utimur et in semper pluralibus, ut ‘Romae, Tyri, Carthagine, Athenis’.

Attici πότερα et singulari et plurali numero adiungunt. Πλάτων πολιτείας I: πότερα ἐκεῖνο δοκεῖ σοι μιμεῖσθαι ἢ τὰ τῶν δημιουργῶν; nos vero ‘utrum’ utrique numero adiungimus: ‘utrum bonae sunt hae res an illa?’

Attici πονηρὸς τὴν τέχνην. Φρύνιχος τραγωδοῖς:

<18.351> αἰτίαν ἔχει

Πονηρὸς εἶναι τὴν τέχνην.

Virgilius in I:

Nuda genu nodo-que sinus collecta fluentes.

Πλάτων ἐπιταφίω: ἀεὶ σὺ προσπαίξεις, ὦ Σώκρατες, τοὺς ῥήτορας.
Terentius in eunucho:

Forte habui scortum: coepit ad id adludere

Et me inridere.

Virgilius tamen in II:

certant-que illudere capto.

similiter ‘arrideo tibi’ pro ‘irrideo’. Terentius in eunucho:

Sed † his ultro arrideo.

Attici ‘προορῶνται τούτων’ καὶ ‘ταῦτα’. Θουκυδίδης Δ: ἀξιῶ προειδόσιν αὐτοῦς. Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος: ἂ ἐγὼ προορώμενος.

Virgilius in I:

et alto

Prospiciens.

idem in VI:

Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.

Terentius in heautontimorumenos:

Quicquid ego huius feci, tibi prospexi et stultitiae tuae.

Attici ‘προέχοντες τούτων’ καὶ ‘τούτοις’ καὶ ‘πολλῶ πάντων’. Πλάτων περιαλαγῆ:

<18.352> ἄλλ’ ἠγούμεσθα εὖ κἀνδρείως πολλῶ πάντων προέχοντες,

(Terentius in Andria:

Quod plerique omnes faciunt adulescentuli.)

Ξενοφῶν ἀναβάσεως τρίτῳ: ἐνὶ μόνῳ προέχοντες οἱ ἱππεῖς ἡμᾶς. nos quoque ‘praesto te’ et ‘tibi’. Virgilius in XI:

Ibo animis contra; vel magnum praestet Achillem.

Terentius in eunucho:

† Dii immortales, homini homo quid praestat? stulto intellegens

Quid interest?

Illi dicunt ‘προσῆκοντες τούτων’ καὶ ‘τούτοις’ ἀντὶ τοῦ ‘οἱ συγγενεῖς’. ‘cognati’ vel ‘adfines’ vel ‘fratres’ vel ‘amici’ vel ‘inimici horum’ et ‘his’. sic et omnia similia.

Illi ‘προσῆκει τούτοις ὁ κλῆρος’ καὶ ‘τοῦ κλήρου’. frequenter et nostri huiusmodi utuntur figura, ut genetivos ponant pro nominativis. Cicero Verrinarum I: ita mihi deos velim propitios, ut, cum illius mihi temporis venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam corpore perhorresco. idem in VII: cum mihi Tyndaritani illius venit in mentem, cum Segestani, tum iura simul civitatum atque officia considero. Attici προσῆκει με τόδε. Terentius in eunucho:

<18.353> et adeo ad te attinere hanc

Omnem rem.

‘προσῆκων κατὰ γένος αὐτῷ’ καὶ ‘προσῆκων αὐτῷ γένει’, ‘προσῆκων τῷ πράγματι’ καὶ ‘τοῦ πράγματος’. nostri frequentius ‘attines ad illum’ et ‘illi’.

Attici ‘προϊέμενος τούτων’ καὶ ‘ταῦτα’. Romani quoque ‘fugitans, amans, patiens’ et multa similia tam genetivo quam accusativo adiungunt; sed accusativo coniuncta participia, genetivo nomina sunt.

Platon in Lyside: ἐγὼ δὲ πρὸς μὲν ταῦτα πράως ἔχω, πρὸς δὲ τὴν φίλων κτῆσιν πάνυ ἐρωτικῶς, πράως dixit, id est ‘clementer’, pro ‘non nimium’. hinc Sallustius in Iugurthino: sed is rumor clemens erat pro ‘non nimius’.

Attici ‘προσέρχονται αὐτῷ’ καὶ ‘αὐτόν’ καὶ ‘πρὸς αὐτόν’. Δημοσθένης κατ’ Αἰσχίνου: τοὺς μὲν οὖν ἄλλους, ὅσοι πρὸς τὰ κοινὰ δικαίως προσέρχονται. Θουκυδίδης: προσήρχοντο ὡς ἀθλητὴν. Terentius in Andria:

adeo ad eum?

Virgilius in X:

Regem adit et regi memorat nomen-que genus-que.

idem in bucolico:

adit oppida pastor.

Aristomenes βοηθοῖς:

ἐπειδὴ τοὺς πρυτάνεις προσήλθομεν.

<18.354> Terentius in Phormione:

† adi magistratus.

Attici 'προσηύχοντο αὐτὸν' καὶ 'αὐτῷ'. Ἡρόδοτος α: προσηύχοντό τε τὴν ἄνθρωπον. Virgilius in V:

superos-que precati

Trinacrii Teucric-que viri.

Terentius in Andria:

huic supplicabo, amorem huic narrabo meum.

Attici 'προσφωνεῖν τούτους' καὶ 'τούτοις'. Ἴσοκράτης παραινέσεσιν: ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν τὸ προσφωνεῖν τοὺς ἀπαντῶντας. Virgilius in VI:

extremum fato, quod te alloquor, hoc est.

idem in II:

Adfatur-que deos et sanctum sidus adorat.

Attici 'προσηνέχθησαν ὑμῖν' καὶ 'πρὸς ὑμᾶς'. Romani quoque 'oblatis vobis' et 'ad vos'.

Attici 'πρὸς ποδῶν' καὶ 'πρὸς κεφαλῆς'. nam πρὸς praepositio tam accusativo quam genetivo coniungitur, sed in diversa significatione, quod nos quoque in multis facimus praepositionibus, ut 'in, super, sub, subter', de quibus sufficienter Donatus docet. 'praeter' autem, quando loco 'sine' accipitur, ablativo coniungitur, ut Sallustius in Catilinario: praeter rerum capitalium condemnatis; nam alias accusativum sequitur. 'tenus' quoque, quod apud Graecos adverbium est, sicut et 'sine' et multa alia, quae a nostris inter praepositiones ponuntur, tam ablativo quam genetivo sociatur secundum Graecos. Virgilius in III:

Pube tenus, postrema inmani corpore pistrix.

<18.355> idem georgicon III:

Et crurum tenus a mento palearia pendent.

idem in X:

cui laterum tenus hispida nanti

Frons hominem praefert.

hoc autem, ut ostendimus, secundum Graecos; nam apud Latinos nulla praepositio nec adverbium praepositivum casualium nisi accusativo vel ablativo coniungitur.

Attici 'προεσκέψαντο τούτων' καὶ 'ταῦτα'. Ἀντιφῶν Σαμοθρακικῶ: καίτοι οὐκ ἂν τῆς μὲν τῶν ἄλλων πολιτῶν ταλαιπωρίας προῦσκέψαντο, τῆς δὲ σφετέρας αὐτῶν σωτηρίας οὐκ ἐνεθυμήθησαν. simile Cicero in Verrinarum I: cum illius temporis mihi venit in mentem.

Illi 'προσγελᾶ με' καὶ 'προσγελᾶ μοι'. Αἰσχίνης κατὰ Κτησιφῶντος: ὁ νῦν πάντας προσγελῶν τοὺς Φωκικοὺς ξένους. Terentius in eunucho:

hisce ego non paro me ut rideant,

Sed † his ultro arrideo.

idem in adelphis:

Rideo hunc.

idem in eadem:

nulli laedere os, adridere omnibus.

idem in eunucho:

<18.356> coepit ad id adludere

Et me irridere.

Attici προκρίνας τούτους καλλίστους εἶναι τῶν λόγων. nostri quoque huiuscemodi locutionibus utuntur, ut 'praerono hunc optimum esse amicorum'.

Illi 'προσοικουσι τόπους' καὶ 'τόποις'. Θουκυδίδης α: προσοικουσι δὲ αὐτὴν Ταυλάντιοι βάρβαροι, Ἰλλυρικὸν ἔθνος. nostri quoque 'accolunt fluvium' et 'fluvio'.

Προσέβλεψα αὐτόν. Πλάτων πολιτείας α: νῦν δέ, ἡνίκα ἤρξατο ἐξαγριαίνεσθαι, προσέβλεψα αὐτόν πρότερος. sic nostri. Cicero in Verrinis: et aspexit me illis quidem oculis. Virgilius in I:

Aspice bis senos laetantes agmine cycnos.

Attici † ΠΠΟCONΩI πρὸς τὰ κέντρα μὴ λακτιζέτω. Terentius Phormione:

namque inscitia est,

Adversum stimulos calces.

Προσκαθεζόμενοι τὴν πόλιν. Θουκυδίδης: προσκαθεζόμενοι δὲ τὴν πόλιν. Iuvenalis in III:

spectent iuvenes, quos clamor et audax

Sponsio, quos cultae decet assedissee puellae.

Illi πρῶτον μὲν, ἔπειτα δὲ vel δεύτερον δὲ vel τὰ νῦν. nostri quoque <18.357> 'primo' vel 'primum quidem, deinde vero' vel 'post vero' vel 'nunc vero' vel 'secundo' aut 'secundum vero'.

Attici 'προσέχετε τὸν νοῦν τούτῳ' καὶ 'πρὸς τοῦτον' – Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους: προσέχετε οὖν τὸν νοῦν ἀναγινωσκομένοις τοῖς νόμοις, – et 'προσέσχε πρὸς τόνδε τὸν τόπον' ἀντὶ τοῦ 'καθωρμίσθη'. Ἡρόδοτος α: καὶ φασὶ τῆς Φοινίκης εἰς Τύρον προσχόντας ἀρπάσαι τοῦ βασιλέως τὴν θυγατέρα Εὐρώπην. Terentius in Andria:

Nunc quam rem vitio dent, quaeso, animum advertite.

idem in eunucho:

Adverti hercle animum.

Virgilius in VI:

Caeruleam advertit puppim ripae-que propinquat.

Attici 'προσβάλλει μοι' καὶ 'προσβάλλει με'. Virgilius in XII:

Impresso-que genu nitens terrae applicat ipsum.

Attici 'πρὸς μέρος' καὶ 'ἐν μέρει'. nostri quoque 'ad partem' et 'in parte' et 'ex parte'.

Illi 'πράγμα ποιείσθαι' ἀντὶ τοῦ 'μέγα ἡγείσθαι'. Terentius in Andria:

Id sibi negotii credidit solum dari.

'Προσπίπτει τοῖς γόνασιν αὐτοῦ' καὶ 'πρὸς τὰ γόνα αὐτοῦ' καὶ 'αὐτῷ'. huic simile est illud Virgilianum:

<18.358> Dixerat et genua amplexus genibus-que volutans

Haerebat.

Δημοσθένης παραπρεσβείας: τοῖς δὲ πρὸς ὑμᾶς ζῶσιν. hoc est quod nos dicimus 'secundum voluntatem vestram' et 'secundum vos'. Lucanus in VIII:

secundum

Emathiam lis tanta datur.

Attici 'προμηθοῦμαι τοῦδε' καὶ 'τόδε'. Πλάτων ἐν Κρίτωνι: εἶπέ μοι, ὦ Σώκρατες· ἀρά γε μή μου προμηθῆ. Ἡρόδοτος ἐν θ: προμηθεόμενος τὸν ἀδελφόν. quomodo et apud nos 'consulo' et 'provideo' et 'prospicio' tam dativo quam accusativo coniunguntur, sed dativo providentiam significant.

Illi 'πρὸς πατρὸς καὶ πρὸς μητρὸς Ἀθηναίος ἐστίν'. nos 'a patre et a matre Atheniensis est'.

Attici 'πρὸς τῷ διαιτητῇ' ἀντὶ τοῦ 'παρὰ τῷ διαιτητῇ'. Romani 'apud arbitrum' et 'ad Troiam' tamen pro 'apud Troiam'. Virgilius in I:

Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis.

Attici 'πυνθάνομαι τετελευτηκότα'. Ξενοφῶν ἐν ζ παιδείας: ὅπου ἂν αὐτὸν πυνθάνωνται ὄντα. frequentissime nostri quoque participia pro infinitis, ut 'audio interfectum, mortuum, caesum' et similia, in quibus omnibus subauditur 'esse'. Iuvenalis:

perituros audio multos.

Illi 'σεμνύνεται τὸ πρᾶγμα' καὶ 'ἐπὶ τῷ πράγματι'. Sallustius in Catilinario: ea populus laetari et merito dicere fieri.

<18.359> Attici 'στέφεται τῷδε' καὶ 'τόδε'. et Romani 'coronatur illam rem' et 'illa re', quomodo etiam 'induitur'. Horatius:

coronari . . . Olympia.

Virgilius in VII:

induit albos

Cum vitta crines.

idem in X:

An sese mucrone ob tantum dedecus amens

Induat.

Σύν praepositio apud illos frequenter et abundat et deficit. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος: καὶ πρὸς ἐκείνους ἐξετάζειν καὶ παραβάλλειν τὸν συνζῶντα μεθ' ὑμῶν. et nostri 'convenit mecum, tecum'. Aristophanes autem ἵππεῦσιν:

Κακῶς Παφλαγόνα τὸν νεώνητον κακὸν

†Αὐταῖς διαβολαῖς ἀπολέσειαν οἱ θεοί,

deest enim σύν. Homeros:

Αὐτῇ κεν γαίη ἐρύσαιμι αὐτῇ τε θαλάσση.

nostri quoque utraque figura utuntur. Virgilius in VIII:

Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis

In fluvium dedit,

deest 'cum'.

Attici συγγνώμης οὐκ ἔστιν οὗτος id est 'nemini dat veniam'. Δημοσθένης ἐν τῇ παραγραφῇ τῇ πρὸς Πανταίνετον: μισεῖσθαι μέντοι τινὰς ἂν εἰκότως ὑφ' ὑμῶν, οἱ τέχνην τὸ πρᾶγμα πεποιημένοι μήτε συγγνώμης μήτε ἄλλου τινός εἰσιν ἄλλ' ἢ τοῦ <18.360> πλείονος. Sallustius in Iugurthino: homines multarum imaginum ac nullius stipendii. frequentius tamen in huiusmodi sensu Romani ablativo utuntur. Terentius in Andria:

ibi unam aspicio adulescentulam

Forma. – Bona † fortassis. Ac vultu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.

Cicero in Philippicis contra Antonium: tu nec solvendo eras, id est ‘solvere debita non poteras’.

Illi ‘σύνοιδα ἑμαυτῷ τόδε ποιοῦντι’ καὶ ‘τόδε ποιῶν’. Ἰσοκράτης Φιλιππικῶ: ἄλλως θ’ ὅταν καὶ μηδὲν σαυτῷ συνειδῆς ἔξαμαρτάνων. nostri quoque inveniuntur hac forma saepe usi: ‘conscius sum mihi bene facienti’ et ‘bene faciens’, quomodo dicimus ‘nomen est mihi Iulus’ et ‘Iuli’ et ‘Iulo’ et ‘Iulum’. Virgilius in II:

sensit medios illapsus in hostes.

Illi ‘συλήσας τοὺς θεοὺς τὰς δεκάτας’ καὶ ‘τῶν θεῶν τὰς δεκάτας’. et nostri ‘depilatus deos decumas’ et ‘deorum decumas’.

Attici ‘συνίημι τῶν λόγων’ καὶ ‘τοὺς λόγους’. Πλάτων Ἰωνι: οὐ γὰρ ἂν γένοιτο ἀγαθὸς ῥαψωδός, εἰ μὴ συνείη τὰ λεγόμενα ὑπὸ ποιητοῦ. nostri accusativo ‘intellego, sentio illam rem’.

Ἡρόδοτος: συνέγνω τὴν ἀμαρτάδα. similiter Latini ‘ignoscit culpam’.

† ‘Ἡ συχνός’ καὶ ‘ὁ συχνός’, et magis femininum ipse fetus est; <18.361> quomodo apud nos ‘hic’ et ‘haec stirps’ et ‘finis, silex’ et multa alia.

Herodotus in III: οὗτος μὲν ἀνοσίῳ μόρῳ τετελεύτηκεν ὑπὸ τῶν ἑαυτοῦ οἰκειοτάτων, id est ‘obiit’ vel ‘mortuus est a suis’.

Attici ‘ταῦτὸν τῷδέ ἐστιν’ καὶ ‘ταῦτὸν ὅπερ τόδε καὶ τόδε ἐστίν’. nostri quoque ‘idem huic illud est’ et ‘idem quod hoc illud est’. Iuvenalis in V:

Implet et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.

Τεταλαιπώρηκεν ἡμᾶς. Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης: ‘κατὰ πάντας τρόπους τεταλαιπώρηκεν ἡμᾶς’ ἀντὶ τοῦ ‘καταπεπόνηκεν ἡμᾶς’, quomodo et Latini saepe eadem verba diversis proferunt significationibus, ut ‘ruo’ absolutum et activum. Virgilius in VII:

ruit omnis in urbem

Pastorum ex acie numerus,

hic enim absolutum est; in primo autem active protulit:

Incubuere mari totum-que a sedibus imis

Vna eurus-que notus-que ruunt.

similiter ‘moror’ tam absoluta quam activa significatione ponitur. Virgilius in I:

Hunc Phoenissa tenet Dido blandis-que moratur

Vocibus.

Iuvenalis:

morantur

Pauci ridiculum et fugientem ex urbe pudorem.

(hoc in activa significatione.) Virgilius in III:

Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater

Destruit?

<18.362> Illi ‘τεκμήριον τόδε τοῦδε’ καὶ ‘τῷδε’. Πλάτων ἐπιταφίῳ: μέγα δὲ τεκμήριον τούτῳ τῷ λόγῳ, ὅτι ἦδε ἔτεκεν ἢ γῆ τοὺς τῶνδὲ τε καὶ ἡμετέρους προγόνους. similiter nos dicimus ‘argumentum huius rei’ et

‘huic rei est illud’ quomodo dicimus ‘pater huius est’ et ‘huic ille’. Virgilius in VIII:

Huic monstro Vulcanus erat pater.

Attici τέως ἕως, quomodo et nostri ‘interea dum’. Aristophanes εἰρήνη:

μη παύσαιο μηδέποτε ἐσθίων

Τέως ἕως σαυτὸν λάθης διαρραγείς.

Virgilius III georgicon:

Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,

Singula dum capti circumvectamur amore.

idem in eodem:

Interea superest gregibus dum laeta iuventus.

notandum ergo, quod, quomodo apud Graecos ἕως coniunctum cum τέως significat μέχρι τοσούτου, per se autem μέχρι τινὸς vel ἐν τῷ μεταξὺ vel ἐν τοσούτῳ, sic et apud nos ‘interea’ et ἐν τῷ μεταξὺ et ἐν τοσούτῳ vel ἕως. est etiam ubi pro ‘tamen’ invenitur positum. Virgilius in I georgicon:

Nec nulla interea est inaratae gratia terrae,

interea posuit pro ‘tamen’.

<18.363> Τελευτᾶν τὸν βίον. Πλάτων ἐν Κρίτωνι: καὶ ἀνάγκη δὴ εἰς αὐρίον ἔσται, σε, ὦ Σώκρατες, τὸν βίον τελευτᾶν. ‘vitam finire’ id est ‘mortem obire’.

Attici ‘τῆδε τῆ ἡμέρα’ ἢ ‘νυκτὶ τόδε ἐγένετο’, καὶ ‘τῆς ἡμέρας’ ἢ ‘νυκτός’, καὶ ‘παρὰ τήνδε τὴν ἡμέραν’ ἢ ‘νύκτα’, καὶ ‘κατὰ τήνδε τὴν ἡμέραν’ ἢ ‘νύκτα’, καὶ ‘ἡμέραν’ ἢ ‘νύκτα’. Virgilius in I:

noctem non amplius unam

Falle dolo.

idem in III:

Noctem illam tecti silvis immania monstra

Perferimus.

(Attici τῆ ὑστεραία τὰ ἐπινίκια ἔθυσεν. huic simile Virgilius:

ictum iam foedus,

pro ‘foederis hostia’.)

Illi ‘τῆ ὑστεραία’ καὶ ‘τῆ προτεραία ἡμέρα’ καὶ ‘τῆ προτέρα’. nos ‘pridie’ adverbialiter hoc dicimus et ‘postridie’, et ‘priorie die’ tamen et ‘posterioire’ et ‘postero’, et ‘nocte’ et ‘superiore’. Cicero in I invectiviarum: quid proxima, quid superiore nocte egeris.

Illi ‘τηλικαύτην, ἠλίκην’ καὶ ‘ὄσσην’. Ἰσοκράτης Ἀρχιδάμῳ: τὴν δὲ ἐν τῷ παρόντι τηλικαύτην γεγонуίαν, ὄσσην οὐδεὶς πώποτε ἔσεσθαι προσεδόκησεν. huic simile Iuvenalis in III:

Hunc qualem nequeo monstrare et sentio tantum,

<18.364> pro ‘talem qualem’. et sciendum, quod frequenter huiuscemodi pronomina, id est demonstrativa, et infinita nomina loco infinitorum qualitatis vel quantitatis inveniuntur apud auctores. Δημοσθένης κατ’ Αἰσχίνου: τὴν ἄλλως ἐνταῦθα Virgilius in II:

Dis aliter visum.

(Illi †καλήν τὴν ὄραν. Sallustius in Catilinario: pro deum atque hominum fidem, victoria nobis in manu est.)

Illi ‘τιμῶ’ καὶ ‘τιμῶμαι τὸ ἀδίκημα’. nos [‘lis aestimatur’] multis verbis tam activae quam passivae vocis similiter in una eadem-que significatione utimur: ‘mereo’ et ‘mereor, populo’ et ‘populor, nutrio’ et ‘nutrior, bello’ et ‘bellor’. Virgilius georgicon II:

Hoc pinguem et placitam paci nutritor olivam,
pro ‘nutrito’. idem in XI:

bellantur Amazones armis.

Illi τινὲς μὲν, τινὲς δέ, pro quo nostri dicunt ‘quidam boni, quidam mali; alii boni, alii mali’ et ‘hi boni, illi mali’.

Attici ‘τί μοι τοῦτο;’ καὶ ‘τί μοι δεῖ τούτων;’ Terentius in adelphis:
sed quid ista, Aeschine,

Nostra? aut quid nobis cum illis?

Iuvenalis in III:

Quo mihi te solitum falsas signare tabellas?

Πλάτων ἐν Σωκράτους ἀπολογία: τιμωρήσεις Πατρόκλω τῷ ἐταίρῳ τὸν φόνον. nostri in utraque significatione accusativo utuntur. <18.365> Virgilius in III:

Vlta virum poenas inimico a fratre recepi.
idem in II:

numquam omnes hodie moriemur inulti.

‘vindico’ quoque in utraque significatione invenitur, tam pro laeso quam contra laedentem accipiendum, unde ‘vindicta’ non solum poena, sed etiam liberatio accipitur – Persius:

Vindicta postquam meus a praetore recessi; –
unde et ‘assertio’ tam a servitute in libertatem quam a libertate in servitium trahi significat, quod apud Livium in multis legimus locis.

Attici ‘τίνα πόθεν, ἃ ἔλεγε;’ καὶ ‘πόθεν, ἃ ἔλεγε;’ simile Terentius in adelphis:

aperite aliquis actutum ostium.

Attici τὶ ex supervacuo adiciunt. Πλάτων ἐν συμποσίῳ: ἔατε αὐτόν· ἔθος γάρ τι τοῦτο ἔχει. Terentius in Andria:

Subtristis visus est esse aliquid.

Πλάτων ἐπιταφίῳ: τίνας ἀγαθόν; pro ‘cuius causa?’ Cicero Philippicarum II: illud Cassianum cui bono? id est ‘cuius gratia? ad cuius bonum?’

Attici ‘τοῦ πλείονός ἐστιν οὗτος’ ἀντὶ τοῦ ‘πρὸς μόνῳ τῷ κέρδει ἐστίν’. frequentissime hac figura utuntur nostri. Sallustius in Iugurthino: <18.366> homines veteris prosapiae, multarum imaginum ac nullius stipendii.

‘Τοῦ’ ἀντὶ τοῦ ‘ἔνεκα τοῦ’. Θουκυδίδης ἐν τῷ προοιμίῳ: καὶ τὰς αἰτίας συνέγραψα τοῦ μή τινα ζητῆσαί ποτε, ἐξ ὅτου τοσοῦτος πόλεμος τοῖς Ἑλλησι κατέστη, ἀντὶ τοῦ ‘ἔνεκα τοῦ μή’ ἢ ‘ὑπὲρ τοῦ μή’ ἢ ‘ὥστε μὴ ζητῆσαί τινα’. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος: ἄρα μικρὰ βοηθῆσαι τοῖς πένησιν ὑμῶν δοκῶ, ἢ μικρὰ ἀναλώσαι τοῦ μὴ τὰ δίκαια ποιεῖν οἱ πλούσιοι; pro hac constructione, id est pro articulo genetivi

quod coniungunt Graeci cum verbo infinito, nos gerundiis in 'di' terminantibus utimur, addentes tamen 'causa' vel 'gratia', ut 'discendi causa lego Virgilium, accusandi gratia et defendendi in forum procedo'.

Ἴσοκράτης Πλαταϊκῶ: 'ἔτι δὲ τοιούτων δεησόμενοι πάρεσμεν', καὶ 'τοιαῦτα δεησόμενοι'. nostri 'egeo illius rei' et 'illam rem' et 'illa re', et 'supplicio tibi' et 'quaeso te'. Terentius in Andria:

huic supplicabo, amorem huic narrabo meum.

Cicero pro Roscio: nam, per deos immortales, quid est in hac causa, quod defensionis indigeat?

Δημοσθένης Φιλιππικῶν α: μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὄνπερ <18.367> οἱ δανειζόμενοι ῥαδίως ἐπὶ τοῖς μεγάλοις μικρὸν εὐπορήσαντες χρόνον, ὕστερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀπέστησαν, οὕτως καὶ ἡμεῖς ἂν ἐπὶ πολλῶ φανῶμεν ἐρραθυμηκότες. et nostri frequenter hac figura utuntur: 'quemadmodum dicis, sic facio' pro 'ut dicis, sic facio'.

Xenophon παιδείας III: καὶ νῦν τὸ μὲν ἐπ' ἐμοὶ οἴχομαι, τὸ δὲ ἐπὶ σοὶ σέσωσμαι. Λυσίας ad accusativum κατὰ Ἀγοράτου ἐνδείξεως: καὶ τό γε ἐπ' ἐκείνον ἐσώθης. Cicero pro Ligario: atque in hoc quidem vel cum mendacio, si vultis, gloriemini per me licet. Πλάτων Κρίτωνι: καὶ τὸ σὸν μέρος ὅ τι ἂν τύχῃσι, τοῦτο πράξουσιν, quod plerique dicunt τὸ ὅσον ἐπὶ σοί.

'Τοσοῦτου διήνεγκεν, ὅσῳ' καὶ 'τοσοῦτον διήνεγκεν, ὅσον'. Αἰσχίνης <18.368> Ἀξιόχῳ: καὶ τοσοῦτῳ ἐκείνο τούτου διαφέρειν ἐνόμιζον ὅσον κρείττων ἐστὶν ἀνὴρ γυναικός. Ἴσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης: τοσοῦτον δὲ μακαριώτατοι τυγχάνουσιν ὄντες τῶν βία τὰς τυραννίδας κατεχόντων, ὅσον οἱ μὲν τοὺς τοιούτους ἀποκτείναντες τὰς μεγίστας δωρεὰς παρὰ τῶν συμπολιτενομένων λαμβάνουσιν. et Romani 'tantum quantum' et 'tanto quanto differt, distat, interest, praestat'.

Attici 'τοσοῦτον' καὶ 'τοσοῦτου ἐδέησεν ἀκόντων τι ποιεῖν τῶν πολιτῶν'. similiter Latini: 'tantum' et 'tanto defuit invitis civibus aliquid facere'. Cicero pro M. Marcello: tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris.

Illi 'τόσων ἐτῶν' καὶ 'τοσοῖσδε ἔτεσιν ὁ δεῖνα'. Αἰσχίνης ἐν Ἀλκιβιάδῃ: ὁ δὲ ῥᾶστα ἀνθρώπων γεγωνὼς ἔτη πεντήκοντά πη. Terentius in eunucho:

ille alter venit annos natus sedecim

Illi 'τότε μὲν, τότε δὲ' καὶ 'τοῦτο μὲν, τοῦτο δέ' (pro quo nos 'cum, tum'). Cicero pro Q. Ligario: cum in omnibus causis gravioribus <18.369> , G. Caesar, initio dicendi commoveri soleam vehementius quam videatur vel usus vel aetas mea postulare, tum in hac causa ita multa me perturbant.

Τοῖνυν apud illos supponitur, τοιγαροῦν praeponitur. apud nos autem et 'igitur' et 'ergo' tam praeponuntur quam supponuntur.

Attici 'τούτῳ τῷ χρόνῳ τότε γίνεται' καὶ 'τούτου τοῦ χρόνου' καὶ 'ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ' καὶ 'τοῦτον τὸν χρόνον' καὶ 'κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον'. omnia haec et apud nostros invenis. Virgilius in VIII:

Nocte super media tuti sub matribus agni

Balatum exercent.

Cicero in Verrinarum I: ut cum illius temporis mihi venit in mentem. (idem de signis: venit enim mihi fani, loci, regionis illius in mentem.)

Attici τὸ περὶ ὄρθρον, τὸ παράπαν, τὸ τήμερον, τὸ παραχρῆμα, τὸ αὐτίκα. nostri quoque adverbis est quando casualia adiungunt, ut Persius:

Euge tuum et belle; nam belle hoc excute totum.

idem:

† hesternum cras abiit.

Virgilius:

mane novum

et:

Sponte sua,

et Lucanus in I:

<18.370> Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.

Attici 'τοῦτον τὸν τρόπον' καὶ 'τούτῳ τῷ τρόπῳ ποιούμεν τόδε'. Sallustius in Catilinario: cum domos atque villas videas in urbium modum exaedificatas. Θουκυδίδης δευτέρα: . . . ἕως μὲν τὸν τρόπον τοῦτον ἐνομοθέτουν.

Illi 'τρίτη ἡμέρα' καὶ 'τρίτην ἡμέραν τόδε ἔπραττον' pro 'nudius tertius'. hinc Romani 'tertio' et 'tertium Kalendas' vel 'Nonas' vel 'Idus' vel 'Kalendarum, Nonarum, Iduum' pro 'tertio ante Kalendas' vel 'Nonas' vel 'Idus'. Cicero in I invectivarum: meministi-ne me in ante diem duodecimum Kalendarum Novembrium dicere in senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset in ante diem sextum Kalendarum Novembrium, pro 'in diem sextum Kalendarum Novembrium ante'. frequentius tamen accusativo adiunguntur et per ellipsin praepositionis.

Attici 'ὑπακούοντες αὐτοῖς' καὶ 'αὐτῶν'. Δημοσθένης Φιλιππικῶν III: ὑπήκουε δὲ ὁ ταύτην τὴν χώραν ἔχων αὐτοῖς βασιλεύς. et pro Ctesiphonte: ἐτοιμῶς ὑπηκούσατε τῷ Φιλίππῳ. hinc Romani 'oboedio tibi' et 'ausculto tibi'. Sallustius in Catilinario: <18.371> quae natura prona atque ventri oboedientia finxit. [pro 'obaudientia'.] Terentius in Andria:

Pamphilum-ne adiutem an auscultem seni.

Attici 'ὑπήκοοι ἦσαν αὐτοῖς' καὶ 'αὐτῶν'. Ξενοφῶν παιδείας δ: διὸ καὶ ὑπήκοοι τῶν Ἀσσυρίων ἦσαν. hinc Romani: 'dicto audiens tibi sum'.

Attici ὑπὲρ etiam pro περί accipiunt, sicut et nos 'super' pro 'de' Demosthenes Philippicorum III: εἰ μὲν περὶ καινοῦ τινὸς πράγματος προὔτιθετο, ὧ Ἀθηναῖοι, σκοπεῖν, et post pauca: ἐπειδὴ δὲ ὑπὲρ ὧν εἰρήκασιν οὗτοι πρότερον. Virgilius in I:

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Attici 'ὑπερέχει τοῦδε' καὶ 'τόνδε'. Πλάτων περὶ ψυχῆς: καὶ τὸ δίπηχυ τοῦ πηχυαίου μείζον εἶναι διὰ τὸ ἥμισυ αὐτοῦ ὑπερέχειν. hinc Romani 'dimidio superat'. unde Iuvenalis in V:

pares quod vendere possis

Pluris dimidio.

similiter 'praestat' pro 'superat'. Virgilius in XI:

Ibo animis contra vel magnum praestet Achillem,
pro 'superet'. (idem in I:

gradiens-que deas supereminet omnis.)

Illi 'ὑπερορᾷ τοῦδε' καὶ 'τόνδε'. Δημοσθένης κατὰ Τιμοκράτους:
<18.372> τοσοῦτον ὑπερείδεν ἅπαντα. Romani ad accusativum 'despicio' et
'contemno' et 'aspornor illum'.

Attici 'ὑποβλέπει με' καὶ 'ὑποβλέπει μοι'. Cicero pro Milone: et aspexit
me illis quidem oculis, quibus tum, cum omnibus omnia minabatur. Virgilius in
I:

et alto

Prospiciens summa placidum caput extulit unda.

Illi 'ὑπὸ σοῦ' καὶ 'ὑπὸ σοὶ' καὶ 'ὑπὸ σέ'. Δημοσθένης Φιλιππικῶν δ:
μικρὰ τῶν πρότερον ῥηθέντων ὑπ' ἐμοῦ μνημονεύσαντας. Herodotus in I:
ἔστρατεύοντο δὲ ὑπὸ συρίγγων τε καὶ πηκτίδων καὶ αὐλῶν. Demosthenes
Philippicis: τῶν μὲν Ἑλλήνων οἱ μὲν ὑφ' ὑμῖν, οἱ δὲ ὑπὸ Λακεδαιμονίοις
ἦσαν. Herodotus: ὑπὸ τὸν νηὸν κατακαέντα. hinc et 'sub' apud nos
accusativo et ablativo adiungitur. genetivo enim praepositio apud Latinos
praeponi non potest separatim. Virgilius in II:

postes-que sub ipsos

Nituntur gradibus.

idem in VIII:

<18.373> sub te tolerare magistro

Militiam.

'sub oculis' quoque dicimus pro 'ante oculos'.

Attici 'ὑπομένομεν τόνδε τοῦτο ποιεῖν' καὶ 'τοῦτο ποιούντα' καὶ
'τοῦτο ποιούντος'. sic et nos 'patimur illum hoc facere' et 'hoc facientem' et
'hoc faciente'.

Illi ὑπόγυον dicunt, quod paulo ante vel mox fit. ex hoc Romani 'e vestigio'
dixerunt, vel quod stans aliquis in eodem vestigio facit – unde 'statim' quoque
dicitur –, vel quantum tempus in uno est vestigio faciendo, quod est
brevissimum. Cicero in I Verrinarum: e vestigio, quasi quodam Circaeο poculo,
factus est Verres. redit ad se atque ad mores suos.

Illi 'ὑπὲρ τόνδε' καὶ 'ὑπὲρ τοῦδε τοῦ τόπου ἑωρᾶτο'. sic et similia
dicuntur. Virgilius in VI:

gemina super arbore sidunt,

et:

Fronde super viridi sunt nobis mitia poma,

idem in bucolico. idem in I:

fama super aethera notus.

Attici 'ὑστέραν' καὶ 'ὑστεραίαν' καὶ 'προτέραν' καὶ 'προτεραίαν', non
addentes 'diem'. hoc et nostri est quando faciunt.

Demosthenes pro Ctesiphonte: καὶ τὸν Ἑλλήσποντον ὑφ' ἑαυτῷ
ποιούμενος. idem in Philippicis: ὑφ' ἑαυτὸν ποιούμενος. et nostri: 'sub
imperio suo' et 'sub imperium suum facit gentes'.

<18.374> Attici ὑφίστατο αὐτόν, et Latini: 'sustinebat illum'.

Illi ὑπολαμβάνω pro ‘respondeo’. Platon in Protagora: πολλοὶ οὖν αὐτῷ ὑπέλαβον τῶν παρακαθημένων, ὁποτέρως βούλοιτο οὕτω ἐπεξιέναι. hinc Virgilius in VI:

Suscipit Anchises atque ordine singula pandit,
pro ‘respondit ad interrogationem Aeneae’.

Φαθὶ λέγων. Ἀριστοφάνης γεωργοῖς:

Εἴ γ’ ἐγκυλικίσειμ’, ἐξολοίμην, φαθὶ λέγων.

inveniuntur et nostri abundantia utentes, ut ‘loquere dicens’ et ‘stude properans’ et similia.

Attici ‘φαίνει ζηλῶν τούσδε’ καὶ ‘ἐζηλωκέσαι τούσδε’. Αἰσχίνης Ἀσπασία: φαίνει γὰρ ἐζηλωκέσαι τοὺς ἐν τῷ δικαστηρίῳ καὶ ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ὑπὲρ ἄλλων ἀγωνιζομένους. hac figura frequentissime Romani quoque utuntur, ut infinita verba pro participiis ponant. Terentius in adelphis:

<18.375> video sapere . . . in loco,

. . . amare inter se.

Φεῦ σοῦ, ὦ Ἑλλάς, Ξενοφῶν Ἀγησιλάῳ. Latini plerumque accusativo utuntur in huiusmodi interiectionibus: ‘pro deum fidem’. Terentius in Phormione:

pro deum immortalium † fidem,

Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?

et ad nominativum tamen solet proferri, ut idem in adelphis:

Pro di immortales, facinus indignum, Geta:

Quid narras?

Attici φθόνον μοι συνάγει. et nos ‘invidiam mihi colligit’.

Illi ‘φιλοτιμουμαι τοῦτο’ καὶ ‘τούτῳ’. Iuvenalis in I:

ardenti sese indulsisse tribuno.

Attici ‘φορεῖν ἐσθήτα’ καὶ ‘στέφανον’ καὶ ‘βακτηρίαν’. Virgilius in VII de tiara et sceptro:

Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis

More daret populis.

idem in I:

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram.

idem in eodem:

Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,

Maxima natarum Priami.

Illi ‘φρόνησις ἐστίν μοι τοῦδε’ καὶ ‘περὶ τοῦδε’. et nos ‘est nobis prudentia illius rei’ et ‘de illa re’.

Attici ‘φροντίζει τῶνδε’ καὶ ‘τάδε’ καὶ ‘περὶ τῶνδε’. Μένανδρος μισογύνη:

<18.376> Ἄλλ’ οὐ τὰ βιότου νῶν ἴσως δεῖ φροντίσαι.

sic nos ad accusativum ‘curo illam rem’.

Illi ‘χάριν ἔχω σοι’ καὶ ‘οἶδά σοι’. Δημοσθένης περὶ στεφάνου τῆς τριηραρχίας: οὐχὶ τοῖς ποιούσιν ἄ δεῖ χάριν ὑμᾶς ἔχειν, ἀλλὰ τοῖς φάσκουσιν. Ἰσοκράτης Ἑλένης ἐγκωμίῳ: πλείω χάριν εἰδότες τοῖς πολλὰ προστάπτουσιν. Terentius in eunucho:

Magnas vero agere gratias Thais mihi?
idem in eadem:

Et habetur et † refertur, Thais, tibi . ut merita es gratia.

Attici χάριν σὴν pro εἰς σὴν χάριν. Πλάτων Φαίδρω: ἀλλ' εἰ δοκεῖ, συγχωρητέον χάριν σὴν. hinc nos 'vicem tuam doleo' pro 'in tuam' et 'septimo Kalendas' pro 'ante Kalendas'. Virgilius in I:

Italiam fato profugus
pro 'in Italiam'. Terentius in eunucho:

At ille alter venit annos natus sedecim,
pro 'ante sedecim'. frequentissima est haec figura apud auctores, in qua praepositio deficit.

Χαμάθεν, quod est 'a loco', Cratinos pro 'in loco' posuit, ὅστ' ἐν πυτίνῃ:

<18.377> † Ἐκαμπτεν ἐστὼς χαμάθεν, ἄκρας τῆς κόμης

Καθέλκων.

melius tamen distinguendum ἐστὼς, et iam bene a loco accipitur χαμάθεν, 'ab humo'. nos genetivo quidem in loco, ablativo vero de loco et accusativo ad locum utimur; ('humi' Sallustius in Iugurthino: quae humi arido atque arenoso gignuntur.) Virgilius tamen

eiectum litore

dixit pro 'in litus', quamvis quidam distinguentes 'eiectum,' ad consequens verbum dicunt 'litore egentem suscepi et regni demens in parte locavi'.

Ἐχορταζόμενοι τοῦδε καὶ τόδε. Κρατῖνος Ὀδυσσεῦσιν:

Ἦσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν.

simile Virgilius in III georgicon:

Pascuntur vero silvas et summa Lycae.

idem in II Aeneidos:

Implicat et miseros morsu depascitur artus.

sic ergo possumus dicere: 'sator illius rei' et 'illam rem'. Terentius in adelphis:
sed postquam intus sum omnium rerum satur.